Digitized by Google

9. 7. 281

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

[illegible]

Digitized by Google

Digitized by Google

FR. JO. FRAN.

BERNARDI MARIÆ DE RUBEIS

Ordinis Prædicatorum

DE SCHISMATE

ECCLESIÆ AQUILEJENSIS

DISSERTATIO HISTORICA.

Accedunt Acta Synodi Mantuanæ pro cauſa Sanctæ Aquilejenſis Eccleſiæ, quæ ex vetuſto Codice Bibliothecæ Vallicellanæ ſecundis curis emendatiora prodeunt cum notis.

VENETIIS, M.DCC.XXXII.

Apud Bartholomæum Giavarina.

SUPERIORUM PERMISSU, AC PRIVILEGIO.

Digitized by Google

[illegible]

[illegible]

[illegible]

[illegible]

[illegible]

[illegible]

[illegible]

[illegible]

[illegible]

Digitized by Google

9.7.281

Illuſtriſs. ac Reverendiſs. Domino

D. DANIELI
DELPHINO

EPISCOPO AURELIANOPOLITANO
ELECTO PATRIARCHÆ AQUILEJENSI
PONTIFICII SOLII ASSISTENTI
ABBATI MOSACENSI

F. Jo. F. Bernardus Maria de Rubeis Ordinis Prædicatorum.

F.

DE rebus Aquilejenſibus, quæ in Eccleſiæ Chriſtianæ Annalibus non infimum locum tenent, hiſtoricam diſſertationem vulgaturo, mihi ſtatim ſplendidiſſimum nomen tuum, Illuſtriſs. ac Reverendiſs. Præſul, occurrebat, quo munimen opuſculo meo conciliarem, ac or-

Digitized by Google

*namentum. Simul a Conſilio (fateor) me deter-
rebat ſelecti inter plurima conditio argumenti, quod infamiæ videri plenum poteſt: officioque meo non ſatis conſultum, dubius hærebam, ſi Tibi Aquilejenſi Patriarchæ deſignato infandi ſchiſmatis Eccleſiæ tuæ imaginem exhiberem. Quo rem attentius meditabar, eo me fortius intime commotum pertractumque ſentiebam, ut hoc eodem argumento, quod mihi videbar utiliori cura exornaſſe, tuam promereri benevolentiam ſtuderem ac patrocinium, Tibique redderem obſequii mei teſtimonium. Non abnuerim quidem, moleſtam fore, quam in aſpectum profero diuturni ſchiſmatis diſquiſitionem, quo tua laboravit olim malo fato ampliſſima Italiæ Eccleſia: at uberius confidebam placere Tibi bonum poſſe, quo Majorum ſciſſuram compenſarunt Succeſſores, doctrina, moribus, pietate, unitatis caritate præſtantiſſimi. Quidni ſchiſmatis ipſius, veluti graviſſimi cujuſdam morbi, prono facilique luſtraveris animo naturam, ſymptomata, criſes; deque illis varias inter diſſitaſque peritorum ſententias, quæ fuerint adprobandæ, quæ rejiciendæ, jucundo ac utili examine diſcreveris? Neque demum tota verſatur in malis diſſertatio, quæ graviſſima Eccleſiæ tuæ negotia, ampliſſimoſque præſtantiæ titulos diligentiori declarat opera, vindicat, illuſtrat; veterem morem in ordinationibus Deceſ-*

ſo-

ſorum diu ſervatum, amplitudinem Provinciæ, Metropolitarum majeſtatem, Diœceſeos diviſionem, jura priſtina recuperata, ſplendidiſſimi tituli ac primatus præ cæteris in Italia Metropolitis acceſſionem. Cætera prætereo plurima, quæ accuratiorem Aquilejenſium Antiſtitum chronotaxim ſpectant; cum ſatis mihi videar argumentum operis, quod minus tuo dignum aſpectu exiſtimari poterat, emaculaſſe, ut eo fidentius abs Te implorarem quod optabam, imploratumque obtinerem. Quem alium namque auctori, & opuſculo Patronum optaverim, niſi Te, qui de rebus Aquilejenſibus propemodum tuis differentem, pro ſumma qua polles, humanitate exciperes, tuereris auctoritate? Utramque Tibi conciliant egregiam dotem notiſſima Patriciæ Delphinorum Familiæ ornamenta: tuæque maxime virtutes amplificant præclariſſimæ, quas norunt omnes miranturque, pietas in Deum eximia, effuſa in homines gratia, ſolertia in agendis, rerum divinarum ſapientia, verenda majeſtas animi, ſuavitas morum gratiſſima. Proſequi tuas imbecilli non licet oratione laudes, quas inter fuerit magna ſemper, ac vera, quod amantiſſimus Patruus, æquiſſimuſque Judex, DIONYSIUS PATRIARCHA, non alium niſi Te ſucceſſorem deſignaverit, ut ſibi ſimilem haberet poſt ſe, hoc eſt, numeris omnibus abſolutiſſimum, Aquilejenſis Ec-

cleſia Antiſtitem. Dum ergo qualecumque obſervantiæ, & obſequii teſtimonium referre geſtit animus, pro ſumma concedas humanitate exoro, Nomen tuum præfigi opellæ, ex quo, cum obſcuro prodeat ab auctore claritatem obtineat: munuſque jam tuum, tuoque Nomine inſignitum valida tuere auctoritate. Vale.

PRÆ-

Digitized by Google

PRÆFATIO.

NOtiſſimum hiſtoriæ eccleſiaſticæ argumentum tibi ſiſto, humaniſſime Lector, quod vetuſta produnt monumenta, quod Viri clariſſimi ampliſſimis lucubrationibus exornarunt, quod populares homines narrant, ac ipſi parietes inſcriptis epigrammatis repræſentant. Erunt fortaſſe, qui diſpendium temporis, ac otioſi hominis opus inclamaverint; eoque magis concepta ſententia placebit, quod oculos in libri frontem conjicientes, eam conſpexerint nativam, ingenuam, abſque fuco novitatis, abſque ullo grandium rerum, quas nemo viderit, nemo dixerit, indicio. Procul a te tam iniqua cenſura, tam præceps judicium, qui normæ æquitatis adhæreſcens, inauditum hominem, neque lectum ſcriptorem haud ita facile incuſaveris; qui prudens, qui ſapiens cum habearis, vulgatiſſima quæ feruntur argumenta, non ignoras magna poſſe cum utilitate retractari; nec ita lucida eſſe, quin ſuis obſcurentur maculis, quæ nova luce adjecta diſcutiantur. Si qua certe hiſtoriæ pars eſt, quæ utili cura, uberiorique proventu ad examen revocari queat, hanc eſſe de ſchiſmate Eccleſiæ Aquilejenſis, putaverim ego, facile concedant rerum hujuſcemodi peritiſſimi. Sincera namque Veterum monumenta, quę abſolutiſſimę hiſtorię fontes habentur, pauca ſuperſunt: alia mutila ſunt, plurima, abſit verbo invidia, commentis deformata. Hinc opus hinc labor, ſi deformata purgentur, ſi mutila expleantur, ſi juſtæ conjectationis vi fere ex nihilo ſatis apta hiſtoria procreetur. Sine lucro plures adlaborarunt Scriptores: magna cum laude, non ſatis alii. Popu-

lares Aquilejenſes, veteres, ac recentes, Majorum infamiæ puduit, quam tegere, delere, abradere ſtuduerunt, injecta in alios calumnia, commutato rerum ſtatu, ſummo diſpendio veritatis. De nova Gradenſes apud eos erecta Metropoli gloriantes, præclariſſimam originem venditare maluerunt: ſibique potius novum jus quoquomodo vindicare videntur, quam tradere caſtam voluiſſe rerum narrationem. Utroſque tamen advocare teſtes neceſſe eſt: ex eodemque ſæpe teſtimonio ſecretam a falſitate, ancipiti periculo, excutere veritatem. Spartam eamdem doctiſſimi quoque Viri exornarunt, quos nimius non attigit rerum ſuarum amor, aut pudor. Baronium intelligo, & Noriſium, qui Gradenſium & Aquilejenſium tabulis diligentius excuſſis, vetuſtiſque monumentis attentiori mente collatis, hiſtoriam ſchiſmatis Aquilejenſis, pluribus ſolutam mendis, aptiſſimaque eruditione caſtigatam propoſuere. An ergo finis perquiſitioni imponi debeat, neque fas fuerit novam operi manum admovere, cui perficiundo ſtudium omne ſummi Viri adhibuere? Non ita poſt Baronium cenſuit Noriſius: non ita poſt iſtum cenſeant Antiquitatis ſcrutatores, quibus id accidere ſępe ſolet, ut plura in tenebris conſepulta relinquant; quæve proferunt non pauca, aut minus recte declarent, aut minus vere diſſerant. Feliciorem mihi ſortem obtigiſſe, nec nimium fidens, nec parum prudens dixerim: placuit vero, idem perſequi argumentum, pro ea quæ cuique ineſt diſſerendi libertate; pro ea quæ id genus lucubrationum conditio eſt, ut centies refectæ, denuo poſſint cum veritatis lucro inſtaurari. Ex uno theſauro, ex quo ſua hauſerunt alii, vetera profero; nec deſunt nova. Quæ vulgata jam ſunt,

ſe-

ſeveriori examine expendo: alia rejicio, alia adprobo; ac pluribus confirmo. Neminem ſperno, quod abſit: colo omnes, ut debeo: libere tamen aſſentio, aut diſſentio; neque me ipſum adeo palpo, ut in errores plurimos incidiſſe nolim. Hoc inde commodi fuerit, ut quemadmodum ſilice frequentius percuſſo flamma erumpit, ita diu quæſita veritas innoteſcat. Neque vitio mihi verti jure debeat, ac ſi turpitudinem ampliſſimæ Eccleſiæ vetuſtate conſepultam revelare voluerim, ipſique dignitatem, vetuſto ejus crimine explicato, derogare. Antiquitatem Cathedræ, excellentiam, auctoritatem, prærogativas novi ego, norunt omnes: ac ſedentes Antiſtites, Epiſcopi primum, deinde Metropolitæ, denique honore & primatu Patriarchæ, moribus, doctrina, juriſdictione præſtantiſſimi cunctis patent. Eccleſiæ, Paſtorumque ſplendorem ac merita ſatis indicat vetus ipſa criminoſa diſciſſio: eorumque decora paſſim exhibeo, illuſtro, vindico; ut in hocce argumenti quoque genere nemo citra injuriam dixerit, male me voluiſſe de ornatiſſima Eccleſia mereri. Quæ cum ita ſint, ſupereſt, optime & amice Lector, ut conſilium meum æqui bonique conſulas; proque tua judices æquitate, ſi quid operæ contulerim, ut ſincerior ac purior ſchiſmatis Aquilejenſis prodiret hiſtoria; ſin minus, conatus certe meos ne nimium ſeverus deſpicias, ſed perhumaniter complectaris.

Digitized by Google

I N D E X
C A P I T U M.
C A P U T P R I M U M.

Schiſmatis Aquilejenſis cauſa, & ratio declarantur.

C A P U T II.

Macedonius, Aquilejæ Metropolita, ſchiſmatis auctor. Ravennam a Narſete ductus, Vitalem Mediolanenſem Epiſcopum ordinat. Schiſma ejus confirmant epiſtolæ a Pelagio I. contra Paulinum ſcriptæ. Quo anno prædictæ epiſtolæ datæ fuerint, indicatur.

C A P U T III.

Pelagii I. epiſtolarum contra ſchiſmaticos fragmenta in priſtinam compagem, & ordinem rediguntur. Summa earum exhibetur. Narſeti datæ ſunt, tum Joanni & Valeriano Patriciis, aliiſque Viris illuſtribus.

C A P U T IV.

Paulinus, canonica prætermiſſa veteri conſuetudine, Aquilejenſis Metropolita eligitur, & ordinatur. Vetus illa conſuetudo exponitur. De Mediolanenſi Epiſcopo ordinatore agitur.

C A P U T V.

Synodum cogit Aquilejæ Paulinus adverſus generale quintum Concilium. Differt a Synodo, quam memorat Beda. In Gradum Inſulam, metu Langobardorum, migrat idem Paulinus. De Maximiliano, & Thracio ſeu Eufraſio ſchiſmaticis Epiſcopis agitur.

CA-

CAPUT VI.

Elias Aquilejenſis Paulino poſt Probinum ſuccedit. Tres ad ipſum ejuſque collegas ſcribit epiſtolas Pelagius II. Schiſmaticorum protervia, & furor narratur. Datę ſunt eædem epiſtolæ poſtremis Eliæ vitæ annis.

CAPUT VII.

In Eliam alioſque Epiſcopos movet Pelagius Smaragdum Exarchum. Is ad unitatem Eccleſiæ redire potiſſimum Iſtrios compellit. Libellos Mauricio ſupplices mittunt ſchiſmatici. Favet Imperator. Epiſtolarum Pelagii epocha confirmatur.

CAPUT VIII.

Communionem cum Romana ſedę habuit nunquam Elias. Argumentum ſolvitur, quod ſumitur ex epiſtola Pelagii II. ad eumdem Eliam inter Acta Synodi Gradenſis.

CAPUT IX.

Exhibentur Synodi Eliæ acta ex Chronicis Danduli, & Gradenſi. Utriuſque Chronici, aliorumquę codicum diſcrepantiæ notantur.

CAPUT X.

Fictam Synodi Gradenſis partem priorem cum epiſtola Pelagii, plura ſuadent. Tempus, & cauſa fictionis indicantur. Pars altera ad Synodum Paulini ſchiſmaticam pertinere videtur.

CAPUT XI.

Eliæ ſuccedit Severus. Ravennam ducitur a Smaragdo, ubi tria capitula damnat. Vindemius inter Severi ſocios numeratus, non eſt Cenetenſis, ſed Iſtrius Epiſcopus. Conſtantinopolim Smaragdus evocatur. Mariani Synodus cogitur, in qua ad ſchiſma redit Severus. Subſcriptiones Epiſcoporum expenduntur: deque Acili Epiſcopo præſertim agitur.

CA-

CAPUT XII.

Marianum, ubi prædicta ſchiſmaticorum Synodus habita eſt, perperam confunditur cum vetere Celina, & hodierno Maniaco. Idem videtur eſſe, ac Oppidum Maranum ad littus Adriaticum in Forojulio.

CAPUT XIII.

Severum vocat Romam Gregorius Magnus ad Synodum. Joannes Diaconus emendatur. Tres ad Mauricium contra Pontificem libellos mittunt Severus ipſe, Iſtriæ Epiſcopi, aliique Venetiarum, & Rhætiæ. Favet eiſdem Imperator, datis ad Gregorium Pontificem, & Romanum Patricium reſcriptis.

CAPUT XIV.

Schiſmaticos inſequitur Gregorius. Scribunt iidem pro tribus Capitulis ad Pontificem. Gravem reddit ipſe epiſtolam. Hæc perperam inſcribitur ad Hiberniæ, aut Iberię Epiſcopos. Columbani epiſtola ad Bonifacium IV. expenditur.

CAPUT XV.

Theodelinda Langobardorum Regina, Gregorii opera, non recedit ab unitate. Reginæ exemplum ſecuti, ſchiſma ejurant plures Epiſcopi. Iſtriorum converſioni ſedulo invigilat idem Pontifex. Epiſcopatus Caprulenſis origo indicatur. Sedis Aquilejenſis translationem ad inſulam Gradum non confirmat Gregorius.

CAPUT XVI.

Severi annus emortualis indagatur. Succeſſoris electio differtur ad plures menſes. Duo eliguntur Aquilejenſes Metropolitæ, ſchiſmaticus Joannes in vetere Aquileja, Catholicus Candidianus in Inſula Grado. Hujus electioni favet Romanus Pontifex, Bonifacius III. Tres illum ordinant Epiſcopi Iſtriæ, a Smaragdo vocati. Schiſmaticorum turbæ ſub Bonifacio IV. narrantur.

C A-

Digitized by Google

CAPUT XVII.

Utriuſque ſedis Epiſcoporum ſucceſſio recenſetur uſque ad Primogenium Gradenſem, & Fortunatum Aquilejenſem. Fortunatus deceſſor ſchiſmaticus Primogenii, idem videtur eſſe cum Fortunato Aquilejenſi. Epiſtolæ Honorii, qua Primogenius ad Inſulam Gradum mittitur in Epiſcopum ordinandus, conſtituitur epocha. Septuaginta ſchiſmatis anni explicantur.

CAPUT XVIII.

Epiſcoporum Aquilejæ ſucceſſio uſque ad Petrum ducitur, & emendatur. In ſchiſmate jacebant illi. Maximus, & Agatho catholici vindicantur Gradenſi Eccleſiæ. Expenduntur ſubſcriptiones Epiſcoporum, qui cum Agathone Synodo Romanæ interfuerunt. Quo ſenſu Maximus, & Agatho appellentur Epiſcopi Aquilejenſes, declaratur.

CAPUT XIX.

Sergii Romani Pontificis opera, ſchiſma tollitur Aquilejenſe. Bedæ auctoritas vindicatur. Petrus Aquilejæ Epiſcopus ad unitatem redit. Pallio Serenum exornat Gregorius II. Scinditur in duas Metropolis Aquilejenſis. Ejus unitatem ſervare ſtudebant Romani Pontifices.

CAPUT XX.

Diſſidia narrantur inter utrumque Metropolitam. Jus integrum ſibi vendicabat Aquilejenſis in Provinciam univerſam. Metropolitarum Aquilejæ ſucceſſio digeritur uſque ad Sigualdum.

CAPUT XXI.

De eiſdem utriuſque Metropolitæ diſſidiis agitur. Aquilejenſium ſucceſſio ducitur uſque ad Maxentium, & emendatur.

CAPUT XXII.

De origine Patriarchatus Aquilejenſis.

CAPUT XXIII.

De amplitudine Aquilejenſis Provincię ſchiſmatis tempore, & ante ipſum.

NOS

NOS FR. THOMAS RIPOLL

Sacrę Theolog. Profeſſor, ac totius Ordinis Prędicatorum humilis Magiſter Generalis, & Servus.

CUm uti Nobis exponitur, R. P. F. Bernardus de Rubeis Congregationis noſtræ S. Jacobi Venetiarum, Opus cui titulus, *De ſchiſmate Eccleſiæ Aquilejenſis Diſſertatio hiſtorica*, compoſuerit, illudque prelo ſubjicere deſideret: Nos harum ſerie, noſtrique auctoritate officii, quantum in Nobis eſt, & ſervatis alias ſervandis paterne indulgemus; dummodo a duobus PP. Ordinis noſtri a R. A. P. Vicario Generali dictæ Congregationis nominandis luce dignum judicetur, eorumque cenſorio in ſcriptis calculo approbetur. In Nomine Patris & Filii & Spiritus Sancti. Amen.

Datum Romæ in Conventu noſtro S. Mariæ ſuper Minervam, die 22. Novembris 1731.

F. Thomas Ripoll
Magiſter Ordinis.

Reg. fol. 50.

✠

F. Cajetanus Benitez de Lugo
Magiſter & Socius.

Ex

Digitized by Google

Ex commiſſione R. Ad. P. Jacobi Poli, Congregationis B. Jacobi Salomonij Venetiarum Vicarij, mandatis obſequentes Reverendiſs. Patris F. Thomæ Ripoll, Magiſtri Generalis totius Ordinis Prædicatorum, attente legimus Opus a Patre F. Jo. F. Bernardo Maria de Rubeis compoſitum, cui titulus, *De ſchiſmate Eccleſiæ Aquilejenſis Diſſertatio hiſtorica*; illudque nævo nullo contra fidei & morum regulas conſperſum, plurimaque refertum eruditione, luce publica dignum cenſemus.

Venetiis in Collegio Sanctiſs. Roſarij, die 4. Januarij 1732.

F. Dominicus Maria Andriuſſi ejuſdem Collegii Rector.

F. Jacobus Ratti in eodem Collegio S. Theologiæ Lector.

NOI

NOI RIFORMATORI
DELLO STUDIO DI PADOVA.

AVendo veduto per la Fede di Reviſione, ed Approvazione del P. *F. Tommaſo Maria Gennari Inquiſitore*, nel Libro intitolato *F. Joannis Franciſci Bernardi Mariæ de Rubeis Ordinis Prædicatorum De Schiſmate Eccleſiæ Aquilejenſis Diſſertatio Hiſtorica*, non v' eſſer cos' alcuna contro la Santa Fede Cattolica, e parimente per Atteſtato del Segretario Noſtro niente contro Prencipi, e buoni coſtumi, concediamo Licenza a *Bartolomeo Giavarina Stampatore*, che poſſa eſſer ſtampato, oſſervando gli ordini in materia di Stampe, e preſentando le ſolite copie alle Publiche Librarie di Venezia, e di Padova.

Dat. 29. Genaro 1731.

(Alviſe Piſani Kav. Proc. Rif.
(Z. Pietro Paſqualigo Rif.

Agoſtino Gadaldini Segr.

1731. 1. Febraro.

Regiſtr. nel Magiſtr. Eccell. ſopra la Beſtemmia.

Angelo Legrenzi Seg.

DE

Digitized by Google

DE SCHISMATE
ECCLESIÆ AQUILEJENSIS
DISSERTATIO HISTORICA.
CAPUT I.

Schiſmatis Aquilejenſis cauſa, & ratio declarantur,

DE Schiſmate, quo Metropolitana laboravit olim Aquilejenſis Eccleſia, ea qua par eſt diligentia pertractaturo, ſchiſmatis ipſius cauſa, & ratio præmittendæ mihi ſunt, ut rite diſputatio aperiatur; illudque veluti principium innoteſcat, ex quo plura hiſtoriæ facta, deque illis juſta conjectura rectumque judicium maxime, pendent. Juſtiniano Imperatori, quem Eccleſiæ cognitio cauſarum delectabat, malo dolo perſuaſum fuit, facile poſſe cum catholicis Eutychianos conciliari Synodi Calchedonenſis contemptores, dummodo tria, quæ Patrum Decreto adprobata videbantur, corrigenda, ac etiam damnanda procuraret. Callido conſilio propoſitum fuerat, Theodorum Mopſueſtenum Epiſcopum: tametſi vita functum, anathemate percelli debere: configi libros, quos Theodoretus Cyri Epi-

ſcopus contra Cyrilli Alexandrini anathematiſmos concinnaverat : rejici demum epiſtolam Ibæ , in qua Præſul Edeſſenus Theodorum Mopſueſtiæ laudat, Cyrillum accuſat ; ac Synodi Epheſinæ contra Neſtorium ſententiam veluti præcipitem ſuggillat.

Hæc molienti Imperatori conſtantiſſime intercedebant Occidentis Patres. Tribus illis capitulis, ut vulgo dicta ſunt ; condemnatis , concilii Calchedonenſis auctoritatem frangi exiſtimabant , in quo Ibas cum epiſtola ſua , ac Theodori commendatione receptus fuerat ; ſuæque ſedi reſtitutus Theodoretus , intactis quos ediderat libris , dictoque ſolum anathemate in Neſtorium. Hæc erat ſane Eutychianorum mens: id minime ferebat capitulorum damnatio. Cœpto nihilominus pergebat Juſtinianus. Edicto promulgato, tria proſcribit capitula: motas Occidentalium Epiſcoporum ſedaturus turbas , concilium generale Conſtantinopoli regia in urbe celebrandum indicit : cogit illud , invito Vigilio Romano Pontifice ; in quo ſententia Epiſcoporum contra capitula prolata eſt. Non uni hæſit conſilio, prudenti poſtulante diſpenſatione , Vigilius . Initio, cum Romæ & in Occidente verſaretur , tria defendebat capitula : Byzantii , quo ad Synodum vocatus pervenerat , Mennam Epiſcopum a communione ſuſpendit ; qui edicto imperiali ſubſcripſerat: Præſuli Conſtantinopolitano conciliatus , latæ damnationi conſenſit: novo ſcripto emiſſo, proſcribi poſſe capitula negavit, queriturque Synodum contra pactas conditiones celebrari: qua demum in ſententia non ſtetit, capitulorum damnatione, quæ in Synodo conclamata fuerat, Apoſtolico decreto confirmata. Hæc eſt Synodus generalis quinta, quam Pontifices Romani ſucceſ-

ſo-

ſores pari, ac præcedentes quatuor, veneratione am-plexati ſunt.

Concilii ſententiæ ſuis occupati præjudiciis repugnabant Occidentales Epiſcopi; Romanoſque Pontifices, veluti proditæ fidei reos, & Synodi Calchedonenſis contemptores, traducere non verebantur. Dirum ſchiſma erupit in Illyrico, in Africa, in Hiſpaniis, in Galliis, in Italia. Pelagii I. qui poſt Vigilium Eccleſiæ regimen ſuſcepit, Apoſtolica ſollicitudo tot Eccleſias, aut in unitate conſtantes retinere potuit, aut ſejunctas ad unitatem revocare; ſolis Venetiarum & Iſtriæ Epiſcopis infandum ſchiſma foventibus.

Schiſmatis Aquilejenſis cauſa, aut occaſio patet: ejus ratio propria, ac veluti indoles exponenda eſt. Duo ſunt diligenter diſtinguenda; aliud enim eſt tria condemnare capitula, aut Synodum quintam cum damnatione capitulorum ſuſcipere: aliud certe, conſenſu damnationi denegato, ſecedere ab illis, qui capitula proſcribebant, ac Synodum venerabantur. Summæ temeritatis erat, tria capitula poſt Oecumenicæ Synodi judicium, poſt ſolemnem Romani Pontificis confirmationem condemnare nolle: ſchiſmaticum vero, iis communionem negare qui damnaverant ea, ſummoſque Pontifices, ac Synodum arguere, acſi eadem damnantes erraſſent. Hoc ab Eccleſia, a Pontificibus, a catholicis improbatum, execratumque: illud aliquando permiſſum, donec prudentis œconomiæ tempore elapſo, nemo catholica reputabatur communione dignus, qui Synodum ſuſcipere, ac tria proſcribere capitula recuſaret. Hæc varia oriebatur diſpenſatio ex diverſa judicii conditione, quod eadem Synodus quinta, quod aliæ priores quatuor tulere: *nam*

Digitized by Google

In eá de perſonis tantummodo, (ut ait Gregorius Lib. 4. Epiſt. *39.* alias *37.* ad Conſtantium) *non autem de fide*, (ut in illis) *aliquid geſtum eſt*.

Quod ajo, a doctiſſimis Viris jam præmonitum; paucis hoc loco pretium eſt operæ comprobare. Notum eſt compertumque, in Hiſpaniis, & Galliis, aliiſque fere provinciis, quæ Græco Imperatori non parebant, nonniſi tardius, errore depoſito, damnationis decretum receptum fuiſſe. Id evincit luculentiſſimis argumentis de Hiſpaniis Henricus Noris, S. R. E. Cardinalis, in Diſſert. hiſt. de Synodo V. cap. *9.* §. 2. ſilentio præſertim Conciliorum ejus Provinciæ, judicioque S. Iſidori Epiſcopi Hiſpalenſis, & ſeptimi ſæculi ſcriptoris, qui tum in Chronico, tum in Catalogo Virorum illuſtrium, de Theodoro Mopſueſteno loquens, Juſtinianum Imperatorem, quod Epiſcopos intra fines Imperii ad capitula proſcribenda compulerit, libertate ſumma redarguit. Gallicanis quoque Eccleſiis nec Synodum quintam, neque damnationem capitulorum placuiſſe eodem ſeptimo ſæculo mediam partem elapſo, oſtendit Auctor Appendicis ad opera Leonis Magni, judicio Chrodoberti Turonum Epiſcopi, quod eruditis notis illuſtrat, itemque Conciliorum Galliæ ejus temporis altiſſimo ſilentio. Atqui vero ſchiſmaticos habebat nemo Hiſpanos, & Gallos; nec ullum propterea negotium illis ingeſtum ſcimus: quod licet Synodum quintam non ſuſciperent, ab eorum non abſtinebant communione, qui Synodum eamdem in eaque conclamatum anathema admiſerant, Eccleſiæque catholicæ ſervabant unitatem.

Clariora profero. Schiſma ut extinguerent, animoſque fidelium conciliarent capitulorum damnatione offen-

fenſos , nihil prætermiſerant vigilantiſſimi Romani Pontifices. Uſum invexere cautionum , quæ a novis Epiſcopis, aliiſque Viris quorum animi ſententia perplexa erat, præſtabantur. Syngraphas aliquando poſtulatas non inficior, dataſque, in quibus capitulorum damnatio jurejurando firmabatur. Id generis fuiſſe cautionem a Laurentio Mediolanenſi Epiſcopo anno DLXXIII. aut inſequente emiſſam, abſque ulla tradit ambage Gregorius Lib. 4. Epiſt. 39. alias 37. ad Conſtantium, Laurentii ſucceſſorem. Is magno Pontifici ſcripſerat : ſibi *ab Epiſcopis, & civibus Brixiæ mandari, ut eis epiſtolam tranſmitteret, in qua jurare debeat, ſe tria capitula minime damnaſſe*. Mirari ſe reſpondet Gregorius, abs Conſtantio quæri, quod Laurentius deceſſor non fecit. *Si autem fecit* (inquit ille ; hoc eſt, ſi tria capitula non damnaſſe, juravit,) *cum univerſali Eccleſia non fuit, & cautionis ſua juramenta tranſcendit*. Quomodo juramenta cautionis tranſcendiſſet Laurentius, niſi capitulorum damnationem in ea, quam ipſe emiſerat, jurisjurandi religione firmaſſet ? Id a Laurentio procul dubio præſtitum, confirmant quæ ſequuntur verba : *Sed quia eundem virum ſua credimus ſacramenta ſervaſſe, atque in unitate catholicæ Eccleſiæ permanſiſſe, dubium non eſt, quod nulli Epiſcoporum ſuorum juraverit, ſe tria capitula minime damnaſſe*. In eadem ſe *pariter*, dum Mediolani *Præturam urbanam gereret*, catholicæ unitatis fovendæ ſtudio, *ſubſcripſiſſe* cautione, teſtatur Gregorius Lib. 4. Epiſt. 2. ad Conſtantium.

Sed aliud cautionum genus admitti oportere ; in quibus ejurato ſolum ſchiſmate, unitas Eccleſiæ catholicæ ſervanda jurabatur, nullus dubito. Hujuſce

cautionis a quodam editæ Epiſcopo ad unitatem Eccleſiæ revocato, præſto eſt exemplum in Appendice epiſtolarum Gregorii, alias Lib. 10. Epiſt. 31. ubi mentio nulla de ſynodo quinta, nullum de capitulis proſcribendis juramentum. Spondet ille, ſuamque juramento ſponſionem firmat: *Se nunquam quorumlibet ſuaſionibus, vel quocumque alio modo ad ſchiſma, de quo Redemptoris miſericordia liberante ereptus eſt, reverſurum: ſed ſemper in unitate ſanctæ Eccleſiæ catholicæ, & communione Romani Pontificis per omnia permanſurum*. Mutilam eandem putat formulam Baronius ad Ann. DCII. num. 3. quod *in ea deſideratur pars illa profeſſionis, qua ſynodus quinta aſſeritur, & comprobatur*. Hanc a Nicolao Fabro Pariſino integram, ut ait, acceptam ſubjicit, quæ incipit: *Fateor, me ſicut ſancti Evangelii quatuor libros, ſic quatuor concilia recipere, & venerari*. De ſynodo quinta hæc habentur: *Quintum quoque concilium pariter veneror, in quo epiſtola, quæ Iba dicitur, erroris plena reprobatur: Theodorus, perſonam mediatoris Dei & hominum in duas ſubſtantias ſeparans, ad impietatis perfidiam cecidiſſe convincitur: ſcripta quoque Theodoreti, per quæ beati Cyrilli fides reprehenditur, auſu dementiæ reprobata refutantur*. Hanc partem in ea, quam protulimus cautionis formulam, deſiderari cenſet Annalium parens. Minime nobis ejus opinio placet. Ac primo diligentiæ Fabri ea profeſſio non debetur, cum eiſdem verbis adjecta legatur epiſtolæ, quam Gregorius ad Joannem Conſtantinopolitanum cæteroſque Patriarchas dedit Lib. 1. nu. 25. alias 24. Deinde cautionum libelli confunduntur cum peculiari profeſſione, quam edidit Gregorius Pontifex creatus, edebantque ſinguli Patri-

triarchæ in ipſo ordinationis, & inaugurationis ritu. Hunc enim obtinuiſſe morem, Gregorius ipſe teſtatur Lib. 9. epiſt. 52. ad Secundinum, *ut quoties in quatuor pracipuis ſedibus Antiſtites ordinantur, ſynodales ſibi epiſtolas viciſſim mittant, in quibus ſe ſanctam Chalcedonenſem ſynodum cum aliis generalibus ſynodis cuſtodire fateantur*. Quod expoſcebat conſuetudo, eà formula præſtitit Sanctiſſimus Pontifex, quam libellum cautionum non antea vulgatum credidit Baronius. Non imus denique inficias, cautione ſimili receptos quamplures eorum eſſe, qui ſchiſma ejurabant: verum etiam prudentis œconomiæ cauſa permiſſum fuit, ut qui a ſchiſmate recedebant, ſolam Eccleſiæ unitatem ſervare, nulla Synodi quintæ, & capitulorum damnationis injecta mentione, jurejurando adſtringerentur.

Alia ſunt hujuſce rei inſignia documenta. Verba refero Gregorii Lib. 4. Epiſt. 3. ad Conſtantium: *Pervenit ad nos, quod quidam Epiſcopi veſtræ Diœceſis.. ſeſe ſcindere a Fraternitatis veſtra unitate tentaverint, dicentes, ſe apud Romanam urbem in trium capitulorum damnationem cautionem feciſſe*. Prætextum ſciſſionis habes capitulorum damnationem. *Ego tamen nominata inter nos, neque verbo neque ſcripto tria capitula recolo*. De illis in urbe Roma Gregorium inter & Conſtantium actum fuerat: eademque ſe damnare, juraverat pro voto Pontificis Epiſcopus Mediolanenſis. Hoc ab aliis difficilioris ingenii Epiſcopis non poſtulat Sacramentum Gregorius, dummodo velint Eccleſiæ unitatem ſervare. *Sed eis.*, inquit, *ſi citius revertuntur, de ſuo errore parcendum eſt*. Illibatam ſe fidem Calchedonenſem cuſtodire, ac anathemate eos

damnare qui contra ſentiunt, ſincere teſtatur: unde *ſupereſt*, ait, *ut hac ſatisfactione ſuſcepta, ad Fraternitatis tua unitatem redeant; ſeque a corpore Chriſti, quod eſt ſancta univerſalis Eccleſia, non dividant*. Itaque alterutram cautionis formulam ab Epiſcopis, aut eligendis, aut revertentibus ad unitatem, aliiſque fidelibus poſtulabant Romani Pontifices, de ſchiſmate tollendo ſolliciti, urgentes quoque damnationem capitulorum, difficilium hominum diſſenſum diſſimulantes, ut nulla ſaltem fieret ſciſſura in Corpore Chriſti, quod eſt ſancta univerſalis Eccleſia.

Pari cum Theodelinda, Langobardorum Regina, uſum eſſe œconomia Gregorium, nos docet ipſe. Ut eam redderet Conſtantio amicam, epiſtolas dederat, quæ Lib. 4. num.4. leguntur, in quibus Synodi quintæ mentio, ac vindiciæ habebantur. Eas Reginæ, ne magis animum turbaret, deferre noluit Mediolanenſis Epiſcopus: aliaſque impetravit, in quibus quatuor ſolummodo Synodi prioris laudarentur. Rem totam narrat Gregorius in epiſtola ejuſdem libri trigeſima nona: *Quod autem* inquiens, *ſcripſiſtis, quia epiſtolam meam Regina Theodelinda tranſmittere minime voluiſtis, pro eo quod in ea quinta Synodus nominabatur, ſi eam exinde ſcandalizari poſſe credidiſtis, recte factum eſt, ut minime tranſmitteretis. Unde nunc ita facimus, ſicut vobis placuit, ut quatuor Synodos ſolummodo laudaremus*. Communione igitur catholica potiebatur Langobardorum Regina, neque tamen Synodum quintam tam cito recipere, induci potuit. Secundum Abbatem non prætereo, Virum eximium, Theodelindæ apprime carum, qui ſchiſmaticus non erat: ejuſque tamen objecta contra Synodum, & capi-

pitulorum proſcriptionem ad Pontificem tranſmiſſa eſ-ſe, ut ad ea *ſubtilius reſponderet*, datiſque ſolutionibus Viri præclariſſimi dubia diſſolveret, ex eodem Gregorio diſcimus Lib. 4. Epiſt. 12.

Satis jam vero de ſchiſmatis, quod occaſione trium capitulorum ſæculo ſexto erupit, cauſa & indole egimus. Quintæ Synodo, ac damnationis decreto in ea lato ſubſcribebant Orientales Epiſcopi, & Occidentales quique Romanorum Pontificum vota ſequentes, & auctoritatem. Synodum eamdem contrariam eſse Calchedonenſi, nimio zelo ducti dubitantes plerique alii, nec illam ſuſcipiebant, neque damnationi capitulorum conſenſum impune præſtare ſe poſse arbitrabantur: integram nihilominus cum aliis fovebant communionem, Eccleſiæque centro, quod eſt Apoſtolica Sedes, adhærebant. Lineas omnes Aquilejenſis Provinciæ Epiſcopi prætergreſſi ſunt. Tumultuari nunquam ceſsarunt, ac omni pudore depoſito in Sedem Romanam debacchari, acſi fidem Calchedonenſem prodidiſſet. Tria capitula non ſolum proſcribere noluere; ſed unitate abſciſſa, a capite Romano Pontifice, a reliquis membris præcipuarum ſedium Epiſcopis, ab Eccleſiæ corpore divulſi ſunt, ut ex tota conſtabit jam cœpta de Schiſmate Aquilejenſi hiſtorica diſſertatione.

CAPUT II.

Macedonius, Aquilejæ Metropolita, Schiſmatis auctor. Ravennam a Narſete ductus, Vitalem Mediolanenſem Epiſcopum ordinat. Schiſma ejus confirmant epiſtolæ a Pelagio I. contra Paulinum ſcriptæ. Quo anno prædictæ epiſtolæ datæ fuerint, indicatur.

Schiſma Aquilejenſe Macedonius Metropolita incœpit, Paulinus auxit, plerique alii diu foverunt Succeſſores. Paulini pervicaciam, ejuſque diviſionem ſchiſmaticam diſertiſſime tradunt Pelagii I. Romani Pontificis epiſtolæ, in quibus, ejus nomine appellato, *Aquilejenſis Eccleſiæ invaſor* dicitur, *contra omnem canonicam conſuetudinem Epiſcopus factus, in ſchiſmate maledictus, pudenda diviſione non conſecratus, ſed execratus*. Alia quamplura narrantur, quæ poſtea diſcutienda, hoc loco prætereo.

Hæc vero de Macedonio ſcripta reliquit Andreas Dandulus, Venetæ Reipublicæ Dux, in Chronico typis Mediolanenſibus edito in Collectione Scriptorum de Rebus Italicis, Lib. 5. cap. 10. Par. 19. *Hoc tempore* (poſt Synodum quintam) *ſchiſma maximum in Venetia, & Liguria, & Iſtria exortum eſt; quia Macedonius Aquilejenſis Epiſcopus, & Honoratus Mediolanenſis, & Joannes Ravennas Epiſcopi cum ſuis ſuffraganeis tria capitula Chalcedonenſis Synodi, qua in Concilio nuper Conſtantinopoli peracto comprobata fuerant, confiteri & recipere nolebant. Erga quos Pelagius Pa-*

pa,

pa , cum eos corrigere non poſſet , ſtatuit ut velut hæretici & ſchiſmatici puniri debeant per ſeculares poteſtates : & ad hoc exequendum Narſetis Patricii invocat auxilium. Brevi ſententia ſus deque miſcentur omnia. Tria capitula , de quibus Calchedonenſi in Synodo actum fuerat , non comprobavit quintum Concilium , ſed anathemate lato proſcripſit . Crimen non erat , eadem capitula confiteri , ac recipere nolle , ſed eorum damnationem in Concilio decretam ſpernere , eique negare conſenſum . Joannes Ravennas nullus hoc tempore vitam agebat : nam ejus nominis ſecundus ab anno CCCCL. ad annum CCCCXCVI. Ravennatium ſedem tenuit; tertius vero anno DLXXV. ordinatus , obiit anno DXCV. ut Benedictus Bacchinius in Diſſertat. & Obſervat. ad Librum Pontif. Agnelli diligentiſſime probat . Honorati , Mediolanenſis Epiſcopi ſanctiſſimi , memoriam ſchiſmatis nota immerito fœdari , ipſumque ætate Macedonii longe poſteriorem eſſe , Clariſſimi Viri demonſtrant . Epiſtolas denique contra Macedonium ad Narſetem ſcriptas a Pelagio , eas videlicet , quæ adhuc extant , a Baronio recitantur , & in Labbeana Conciliorum collectione recenſentur , minus veriſimile arbitramur .

Macedonium tamen ſchiſma Aquilejenſe primum conflaviſſe , Dandulus tradit , certumque habeo . Id evinci facile poteſt , ſi Paulini ſucceſſoris epocha præmittatur , ac nonnullæ epiſtolarum Pelagii ſententiæ paulo attentius conſiderentur . Scribit Sereniſſimus Dux Lib. cit. cap. 11. *Paulum Epiſcopum Aquilejæ factum anno Domini DLVII.* Nihil eſſe video , quo hæc vexari debeat chronologia . Favet Paulus Diaconus Lib. 2. de Rebus Langobard. cap. 25. edit. Mediol. ubi

ait: *Alboin Liguriam introiens, Indictione ingrediente tertia, tertio nonas Septembris, ſub temporibus Honorati Archiepiſcopi, Mediolanum ingreſſus eſt. Dehinc univerſas Liguriæ Civitates præter has quæ in Littore maris ſunt poſitæ, cepit. Honoratus vero Archiepiſcopus Mediolanum deſerens, ad Genuenſem urbem confugit. Paulus quoque Patriarcha, annis duodecim Sacerdotium gerens, ab hac luce ſubtractus eſt.* Facta narrat Hiſtoricus, quæ ſub ingreſſus Alboini in Liguriam tempus acciderunt: eademque pertinent ad *tertiam indictionem*, ac ſecundam ſine dubio cadentem. Incepit indictio tertia a Calendis Septembris anni DLXIX. (ævi namque ſui computandi rationem ſequitur Diaconus:) unde anno eodem DLXIX. ad finem vergente, obiiſſe Paulinum Aquilejenſem patet. Duodecim ſedis ejus anni ſi retro numerentur, conficitur, primum ſedis ejuſdem annum convenire anno vulgaris æræ DLVII. quem numerat Dandulus.

Jam verba refero, & expendo, quę in Epiſtola *ad Narſem* num. 3. in Collect. Labb. leguntur: *Recolere enim debet Celſitudo veſtra, quod per vos Deus fecerit tempore illo, quo Iſtriam & Venetias tyranno Totila poſſidente, Francis etiam cuncta vaſtantibus, non ante tamen Mediolanenſem Epiſcopum fieri permiſiſtis, niſi ad Clementiſſimum Principem ante retuliſſetis, & quid fieri debuiſſet ejus iterum ſcriptis recognoviſſetis: & inter ubique ferventes hoſtes, Ravennam tamen & is qui ordinabatur, & is qui ordinaturus erat, providentia culminis veſtri deducti ſunt.* Plura ex his colligere licet: tum Macedonium Aquilejenſem ductum Ravennam a Narſete, ut Vitalem Mediolani Epiſcopum conſecraret: tum utrumque audita capitulorum approbatione,

ne, quàm ante concilium ediderat Vigilius, turbas movere cœpiſſe: tum Macedonium denique, conclamata damnatione in Synodo quinta, ſchiſmatis in Aquilejenſi Eccleſia auctorem fuiſſe.

Singula paucis oſtendo. Totilam morte peremptum cecidiſſe anno DLIII. putant Baronius ad eumdem annum num. 15. & Noriſius Diſſert. hiſt. de Synodo V. cap. 6. Anno præcedenti DLII. cædem ejus obitumque conſignat Pagius num. 8. Perinde hoc loco mihi eſt, ſive hujus, ſive aliorum placeant calculi: certumque ſit, altero ex his annis, quod narrat Pelagius contigiſſe. Quo etiam tempore Francos, qui cuncta vaſtabant, *agrum Venetum tenuiſſe præſidiis*; ac tranſitum Narſeti denegaſſe, Gothis ac Totilæ in ſpeciem faventes, narrat Procopius Lib. 4. de Bello Goth. cap. 16. Totila nondum enecato, migraverat e vita Conſtantinopoli Dacius Mediolanenſis. Tum acceptis Imperatoris mandatis, *inter ubique ferventes hoſtes*, Francos, & Gothos, Ravennam duxit Narſes novum Mediolani Epiſcopum, & Aquilejæ Metropolitam, qui ſibi juxta morem antiquum manus invicem imponebant. At electum ordinatumque Mediolanenſem, non alium exhibent catalogi, niſi Vitalem: eoque tempore ſedem Aquilejæ tenebat Macedonius.

Interim fremebat Occidens, Vigilii Papæ *Judicato* offenſus, quod ille contra capitula, diuturnioris moræ in urbe Regia impatiens, ac Juſtiniani violentiis fractus emiſerat. Palam Epiſcopi, ac populi tumultuabantur. Quæ turbæ ſedari ut poſſent, Oecumenica Synodus anno DLIII. celebranda indicta fuerat. Hinc vero cauſa patet, cur Vitalis, & Macedonius Ravennam ducti fuerint, quæ non alia excogitari poteſt, niſi

quia

quia ordinatio procederet, cum utriuſque , ordinandi, & ordinatoris promiſſione, Synodi univerſalis indictæ parendi ſententiæ, ac tria proſcribendi capitula, ſi ea quoque Synodus damnaſſet. Rem vidit Daniel Papebrochius in Exegeſi de Epiſcopis Mediol. Tom. 7. Maii; quem falli tamen arbitror, dum ait, non Vitalem, ſed innominatum quemdam ſucceſſorem Vitalis a Macedonio Ravennæ conſecratum fuiſse; cum hæc, vitam adhuc agente Totila, ac Venetias occupante, Pelagio teſte, contigerint: quo ſane tempore innominatus ille Epiſcopus cathedram Mediolanenſem, Papebrochio fatente, nondum conſcenderat. Turbas igitur habeo Mediolani, & Aquilejæ tot ante Paulinum annis ob capitulorum damnationem concitatas: quas in apertum ſchiſma poſt Synodi quintæ anathema in eadem capitula prolatum, confirmatumque a Vigilio, incentore Macedonio erupiſſe, nulla videtur ambigendi ratio.

Epiſtolas Pelagii I. aut potius fragmenta epiſtolarum ad Narſetem omnia, quæ in Labbeana collectione recenſentur, data fuiſſe anno DLVII. aut inſequente poſt ordinationem Paulini, qui Macedonio ſucceſſit, ultro fateor. At ea non exhibent rebellionem, quæ tunc primo exorta fuerit; ſed incrementa ſchiſmatis indicant, quo jampridem Ligures, Veneti, Iſtrii laborarent. Plura ſunt, quæ ſoli Paulino conveniunt: alia ſcribit Pontifex, quæ ad ſuperiores pertinent annos. Schiſmaticorum, *eccleſiam fugientium*, homicidia, inceſtus, rapinæ, improbi mores aperiuntur. Eorumdem arguitur pervicacia, qui *ad Sedem Apoſtolicam*, a qua *rationem accipere poſſent*, aut venire, aut *aliquos dirigere*, in ſedis ejuſdem Apoſtolicæ con-

tem-

temptùm dedignati ſunt. Schiſmatis malum deploratur, quod homines turbulenti, *quædam apud ſe delata, ſibi tamen incognita metuentes, & contra Apoſtolicam ſedem temere credentes*, opportuno remedio ſanare nollent, ſed propagarent. Hęc plurium annorum facinora ſunt, Paulino & Macedonio communia. Sed Paulinum denique ſchiſmatis auctorem nuſpiam dicit Pelagius: neque Macedonii precesſoris, ac ſi catholicam ſervaſſet unitatem, aptiſſimum exemplum ſchiſmatico Succeſſori proponit; ut ad meliorem frugem revocaretur. Quod argumento eſt, ſciſſuram unitatis ampliaſſe Paulinum, feciſſe Macedonium.

Id confirmari demum poſſe quiſpiam credat ex epiſtolę Pelagii fragmento, quod in laudata collectione Labbeana num. 3. poſitum eſt, ubi hęc habentur verba; *Si quid eos* (ſchiſmaticos, *Ligures, Veneticos, & Iſtrios*, paulo ſuperius memoratos) *de judicio univerſalis Synodi, quod Conſtantinopoli per primam nuper elapſam indictionem actum eſt, &c.* Indictio prima cœpit Conſtantinopoli anno DLII. Septembri menſe; eodemque completur menſe anni ſequentis DLIII. quo Synodus quinta peracta eſt. Cum igitur hęc *indictio prima nuper elapſa* dicatur, non longo poſt tempore data videtur prędicta Pelagii epiſtola. Data igitur fuerit anno DLV. quo Vigilio ſucceſſit Pelagius vel inſequente; quo tempore Macedonius Eccleſiam regebat Aquilejenſem. Inſigne ſchiſmatis a Macedonio moti hoc foret argumentum, niſi plura ſuaderent capite ſequente adducenda, prędictum fragmentum conſui debere cum alio, & ex utroque unam confici epiſtolam, in qua ſucceſſoris Paulini fit mentio, quem anno DLVII. ordinatum fuiſſe, cum Dandulo & Paulo Diacono ad-

no-

notavimus. Hinc vero ſequitur, ad hunc annum, vel inſequentem pertinere laudatas Pelagii ad Narſetem epiſtolas. Neque obſtant citata verba; cum *primam indictionem nuper elapſam* dicere, perinde ſit ac periodum indictionum currentem, primumque ejus annum deſignare, ut alius indictionum circuitus excludatur.

CAPUT III.

Pelagii I. epiſtolarum contra ſchiſmaticos fragmenta in priſtinam compagem, & ordinem rediguntur. Summa earum exhibetur. Tum Narſeti datæ ſunt, tum Joanni, & Valeriano Patriciis, aliiſque Viris illuſtribus.

Paulini Metropolitæ, aliorumque Provinciæ Aquilejenſis Epiſcoporum antequam deſcribo nefanda flagitia, editas Pelagii I. litteras, e quibus ea depromuntur, priſtino quo ſcriptæ videntur ordine diſpono: nec enim integræ dici debent epiſtolæ, ſed fragmenta, aut duarum vel trium epiſtolarum fruſta.

Quatuor habentur ejus Pontificis contra ſchiſmaticos epiſtolæ, jam editæ Tom. I. epiſtol. Romanorum Pontificum, ſuos etiam in Annales a Baronio derivatæ ad Annum DLVI. a num. 5. ac demum Labbeanæ collectioni inſertæ num. 2. 3. 4. & 5. quæ omnes *ad Narſem Patricium* datæ dicuntur. Alia edidit Lucas Holſtenius epiſtolarum Pelagii I. fragmenta, eidem collectioni Labbeanæ adjecta, quorum tria priora ad hoc pertinent argumentum; primumque *Joanni Patricio* datum eſt, ſecundum *Vintori*, &

Pan-

Pancratio illuſtribus, ac *Valeriano* item *Patricio* tertium. Non integras epiſtolas eſſe, ſed lacera epiſtolarum fragmenta, nemo negaverit, qui paulo attentius eadem oculis, & animo percurrat. Caput alteri deeſt, finem alterum non habet, ac luxata videntur omnia. Imo ſi alterum cum altero comparetur, eadem fruſta quædam intelliguntur, quæ invicem conſui poſſint, atque duarum vel trium compage necti epiſtolarum. Fragmenta Holſteniana cum aliis collata indicium præbent: ſiquidem tertium, quod incipit, *Iſtud eſt quod a vobis popoſcimus*, illud ipſum complectitur quinto loco a Labbeo vulgatum, ac aliud inſuper quod habetur num. 3. cujus initium eſt, *Non vos hominum vaniloquia retardent*: inquo demum alia adjiciuntur plura, quæ in Holſteniano deſiderantur.

Rem hanc aptius arbitror oſtendi non poſſe, quam ſi eadem fragmenta, eo quo primum ſcriptæ videntur epiſtolæ contextu, diſpoſita exhibeantur, animadverſionibus adjunctis, quæ ſeriem ipſam atque compagem certiſſime comprobant.

Epiſtola I. ad Narſetem.

Ex Fragm. Labb. num. 2.

„ Quali nos de gloriæ veſtræ ſtudiis judicio gra-
„ tulemur, non ſolum veſtram ſed multorum,
„ ac pene omnium credimus habere notitiam: & id-
„ circo nunc de his, quæ vobis præſentibus ibi fieri
„ ſtupemus, fiducialiter apud gloriam veſtram duxi-
„ mus conquerendum. Thracius ſiquidem, atque Ma-

„ ximilianus, nomina tantum Epiſcoporum habentes, „ & Eccleſiaſticam ibi unitatem perturbare dicuntur, „ & omnes eccleſiaſticas res ſuis uſibus applicare: in- „ tantum ut contra unum eorum , ideſt Maximilia- „ num, uſque ad nos per tam longum iter, neceſ- „ ſitate compellente, quidam infatigabiliter venien- „ tes, preces offerrent.

„ Ob quam cauſam Petrum Presbyterum ſedis no- „ ſtræ, ſed & Projectum Notarium ad eadem loca „ duximus deſtinandos, ut ea quæ canonicis ſtatu- „ tis (*a*) a prædictis Pſeudepiſcopis compererint com- „ miſſa, vel digna debeant ibi ultione compeſcere, „ vel eoſdem ad nos uſque perducere. Et ideo ſalutan- „ tes paterno affectu gloriam veſtram petimus, ut „ præfatis, qui a noſtra Sede directi ſunt, in omni- „ bus præbeatis auxilium: nec putetis alicujus eſſe „ peccati, ſi hujuſmodi homines comprimantur. Hoc „ enim, & divinæ, & humanæ leges ſtatuerunt, ut „ ab Eccleſiæ unitate diviſi, & ejus pacem iniquiſſi- „ me perturbantes, a ſæcularibus etiam Poteſtatibus „ comprimantur. Nec quidquam majus eſt, unde Deo „ ſacrificium poſſitis offerre, quam ſi id ordinetis, ut „ hi qui in ſuam, & aliorum perniciem debacchan- „ tur, competenti debeant vigore compeſci. „

Hanc primo loco collocandam eſſe epiſtolam cenſeo, licet Baronius veluti tertiam, quam in hocce negotio ſcripſerit Pelagius, recitet ad Annum DLVI. num. 12. Datam eſſe contra Schiſmaticos Epiſcopos, illoſque præſertim duos qui nominantur, dubitare non ſinunt Pontificis verba, quibus eos appellat: *Eccleſiaſtica unitatis perturbatores, & ab Eccleſia unitate diviſos*.

Apo-

(*a*) *contraria*.

Apoſtolicam vero ſollicitudinem cum eorum frangendæ pervicaciæ minus parem agnoſceret Pelagius, Narſetis implorat poteſtatem, ut contumaces Epiſcopos competenti vigore compeſcat. Quinam hi fuerint Epiſcopi, inferius inquirendum eſt. Has demum epiſtolas ante Paulini ordinationem ſcriptas eſſe, ſi cui placeat, non abnuerim.

Epiſtola II. ad eumdem.

Ex Fragm. Labb. num. 4.

„ RElegentes litteras Excellentiæ veſtræ, de inju„ ria quidem quam vobis iniquorum hominum „ præſumptio ingeſſit, valde doluimus. Sed quia ſci„ mus, occulto Dei judicio animam veſtram, etſi per „ aliorum iniquitatem, & ſuperbiam..., a contami„ natione ſchiſmatis cuſtoditam; egimus Omnipotenti „ Deo gratias, qui etiam de malis hominum actibus „ bona operari conſuevit. Nec enim ſine illius pro„ videntia factum eſſe credendum eſt, ut inſenſati, „ & perverſi homines ad hoc uſque profilirent, ut „ ſuam diviſionem catholicam eſſe credentes Eccleſiam, „ a ſua vos pollutione prohiberent. Sic enim per mi„ ſericordiam Dei etiam neſcientibus illis, hoc fa„ ctum eſt, ut a ſchiſmaticorum factione eruti, ca„ tholicæ, quam diligitis, ſervari vos contigiſſet Ec„ cleſiæ. Quamvis igitur veſtra per illorum ſcelus uti„ litas facta ſit; nolite tamen impunitam præſumptio„ nem iniquorum hominum graſſari permittere. Si „ enim hoc, quod in veſtram gloriam præſumpſerunt, „ non fuerit vindicta conpreſſum, quod in minoribus

„ non valeant puniri ambigi ultra non debet. Exer-
„ cete igitur in talibus debitam auctoritatem, & ne
„ eis amplius talia committendi ſpiritus creſcat, ve-
„ ſtris coercitionibus reprimantur. Ad hoc ſiquidem
„ Dei nutu etiam contra vos talia præſumpſerunt,
„ ut alia, vobis corrigentibus, ab eodem ſcelere alios
„ poſſitis, Deo propitiante, munire. Quales autem
„ ſint, qui Eccleſiam fugiunt, Eufraſii vos ſcelera
„ (quæ amplius occulta Deus eſſe noluit) evidenter
„ informant: qui in homicidio quidem nec homi-
„ nis neceſſitudinem, nec fratris caritatem, nec
„ ſacerdotii reverentiam cogitavit. Inceſtuoſo au-
„ tem adulterio etiam ipſius vindictæ abſtulit mo-
„ dum; quia ſi adulterium punias, non remanet
„ in quo vindicetur inceſtus: ſi inceſtuoſo ingeras pœ-
„ nas, inultum crimen adulterii remanebit. Ecce de
„ quo collegio ſunt, qui quantum ad ſuperbiam
„ ſuam, injuriam vobis inferre moliti ſunt: & quan-
„ tum ad providentiam Dei, impollutos vos Eccleſiæ
„ ſervaverunt. Auferte tales ab iſta Provincia: uti-
„ mini oblata vobis a Deo opprimendi perfidos occa-
„ ſione. Quod tunc plenius fieri poterit, ſi auctores
„ ſcelerum ad Clementiſſimum Principem dirigantur:
„ & maxime Eccleſiæ Aquilejenſis invaſor, qui eſt
„ in ſchiſmate, & in eo maledictus nec honorem
„ Epiſcopi poterit retinere, nec meritum. „

Ex Frag. 1. Holſt.

„ Pudenda (namque) ut ita dicam rapina, in di-
„ viſione eſt non conſecratus, ſed execratus Epiſco-
„ pus. Si enim ipſum nomen conſecrationis rationa-
„ bili, ac vivaci intellectu diſcutimus, is qui cum
„ uni-

„ univerſali detrectat conſecrari Eccleſia, conſecratus „ dici vel eſſe nulla ratione poterit. Conſecrare enim „ eſt ſimul ſacrare. Sed ab Eccleſiæ viſceribus divi- „ ſus, & ab Apoſtolicis ſedibus ſeparatus execrat ipſe „ potius, & non conſecrat. Jure ergo execratus tan- „ tum, non conſecratus poterit dici, quem ſimul ſa- „ crare, in unitate conjunctis membris, non agno- „ ſcit Eccleſia. Videamus tamen, utrum vel ipſarum „ conſuetudinem partium in ſua ordinatione conſer- „ vaverint. Nempe is mos antiquus fuit, ut quia „ pro longinquitate, vel difficultate itineris ab Apo- „ ſtolico oneroſum illis fuerat ordinari, ipſi ſe invicem „ Mediolanenſis, & Aquilejenſis ordinare Epiſcopi „ debuiſſent; ut & ordinandi electio a præſenti Ordina- „ tore, ex conſenſu univerſalis, cui præficiendus erat „ Eccleſiæ, melius, & facilius potuiſſet agnoſci: & in „ ſua qui ad Epiſcopatum provehendus erat, nec ta- „ men Ordinatori ſuo ſubdendus fuerat, ordinaretur „ Eccleſia (*a*) .... Noli catholicam ſemper men- „ tem aliqua ſchiſmaticorum communione polluere. „ Unum Chriſti corpus, unam conſtat eſſe Eccleſiam, „ Diviſum ab unitate altare veritatem Chriſti corpo- „ ris non poteſt congregare. Toleranda ſunt in com- „ page corporis poſitorum etiam illa nonnunquam vi- „ tia, quæ pro unitate interdum parcentes reſecare „ non poſſumus; quia & Evangelicum agricolam, „ minus afferentem fructum palmitem, ſi tamen in „ vite maneat, purgare poſſe noſter Salvator edocuit. „ Abſciſſum autem a vite palmitem, niſi igni ad „ comburendum aptum eſſe non poſſe, ejuſdem cæleſtis „ Magiſtri veritate didicimus. Noli ergo eorum, qui

 „ igni

(*a*) hic plura deeſſe videntur.

„ igni apti ſunt, non conſecrationi; ſed execratio-
„ nibus conſentire. Nec exiſtimes illos vel eſſe, vel
„ dici Eccleſiam poſſe. Etenim, cum ſicut dixi-
„ mus, Eccleſia una ſit, cui in Canticis Canti-
„ corum dicitur; *Una eſt columba mea*; nullam
„ aliam eſſe conſtat, niſi quæ in Apoſtolica eſt ra-
„ dice fundata: a qua ipſam fidem in univerſo pro-
„ pagatam orbe, non poteſt dubitari. Quod vobis
„ licet notiſſimum omnino ſit, Beati tamen Auguſti-
„ ni teſtimonio comprobemus. Audite, quid in quo-
„ dam opere ſuo præclariſſimus Doctor dicat Eccle-
„ ſiæ. Ait enim: *Quod ſi nullo modo dici poteſt Ec-
„ cleſia, in qua ſchiſma eſt; reſtat, ut quoniam Ec-
„ cleſia nulla eſſe non poteſt, ea ſit, quam in ſedis
„ Apoſtolicæ per ſucceſſiones Epiſcoporum radice conſti-
„ tutam, nullorum hominum malitia, etiamſi nota,
„ excludi non poſſit, ſed pro ratione temporis toleran-
„ da judicetur, ullo modo valeat extinguere*.

Ex Fragm. 2. *Holſten.*

„ A ſchiſmaticorum ſacrificiis, potius autem ſa-
„ crilegiis abſtinere debetis. Schiſma ſiquidem ipſum,
„ quod græcum nomen eſt, ſciſſuram ſonat. Sed in
„ unitate ſciſſura eſſe non poteſt. Non ergo unitati
„ communicant, qui ſchiſmaticis communicant. Par-
„ tes ſibi ipſi fecerunt: & ab eo quod unum eſt, ut
„ Apoſtoli Judæ utar verbis, *ſemetipſos ſegregantes*,
„ *ſpiritum non habent*. Quibus omnibus illud efficitur,
„ ut quia in unitate unum non ſunt, & quia in parte eſſe
„ voluerunt, & quia ſpiritum non habent Corpo-
„ ris Chriſti, ſacrificium habere non poſſint. &c. „

Sic

Sic invicem colligari debere hæç tria fragmenta exiſtimo, quorum connexio cuique eadem percurrenti ſtatim apparet. Cum prioribus Pelagii litteris permotus Narſes, rebellionem Epiſcoporum compeſcere ſtuderet; ſed mitius cum illis, non vi, ſed hortationibus agendum putaret; ejus animi facilitate, ac modeſtia abuſi ſunt improbi homines, ipſumque a Pelagii communione cum revocare non potuerint, eo uſque proſiluere, ut eumdem veluti ſchiſmaticum traducerent, ac averſarentur. Id ex epiſtolis Narſetis, narrat in primo fragmento ſe accepiſſe Pontifex. Duo inſuper addit: tum ſchiſmaticos *ſuam diviſionem credere Catholicam Eccleſiam*; tum fortiori brachio, ne furioſius debacchentur, agendum contra ipſos; maximeque *Invaſorem Eccleſiæ Aquilejenſis*, ad clementiſſimum Principem, a quo pro meritis comprimatur, dirigendum eſſe.

Rem utramque latius verſat Pontifex in ſecundo fragmento, ut priori conſuendum eſſe omnino pateat. Paulinum oſtendit, *invaſorem* eſse *Eccleſiæ Aquilejenſis*; tum quia ſchiſmaticus erat, ac *in diviſione, pudenda quadam rapina, non conſecratus, ſed execratus Epiſcopus*; tum quod ejus in ordinatione, & electione vetus earum partium conſuetudo prætermiſsa fuerit. Sed immerito gloriari Paulinum, ejuſque rebellionis complices, acſi diviſio, in qua degebant, Catholica dici deberet Eccleſia, eodem in fragmento probat ille: *Nec exiſtimes*, inquiens, *illos vel eſſe, vel dici Eccleſiam poſſe*: quod argumentum in tertio quoque fragmento uberrime pertractat. Hæc igitur eſt Pelagii epiſtola, injuria temporum in fruſta diſcerpta, in priſtinum ordinem, quo ſcripta a Pontifice fuit, reſtituta.

Epiſtola III. ad eundem.

Ex Frag. Labb. num. 5. *& Frag.* 3. *Holſten.*

„ Iſtud eſt, quod a vobis popoſcimus, & nunc „ iterum poſtulamus, ut Paulinum Aquilejenſem, „ & illum Mediolanenſem Epiſcopum ad Clementiſſi„ mum principem ſub digna cuſtodia dirigatis; ut & „ iſte, qui Epiſcopus eſse nullatenus non poteſt, quia „ contra omnem canonicam conſuetudinem factus eſt, „ alios ultra non perdat: & ille, qui contra morem „ antiquum eum ordinare præſumpſit, debitæ (*a*) „ canonibus vindictæ ſubjaceat. Sed (*b*) nec licuit „ aliquando, nec licebit particularem Synodum ad „ dijudicandum generalem Synodum (*c*) congregari. „ Sed quoties aliqua de univerſali Synodo aliquibus „ dubitatio naſcitur, ad recipiendam de eo quod non „ intelligunt rationem, aut ſponte hi qui ſalutem „ animæ ſuæ deſiderant, ad Apoſtolicas ſedes pro „ recipienda ratione conveniant: aut ſi forte (ſicut „ de talibus dictum eſt, *Peccator cum venerit in pro„ fundum malorum, contemnit*,) ita contumaces, & „ obſtinati exiterint, ut doceri non velint, eos ab „ eiſdem Apoſtolicis ſedibus aut attrahi ad ſalutem „ quoquomodo neceſse eſt, aut ne aliorum perditio eſse „ poſſint, ſecundum canones per ſeculares opprimi po„ teſtates.

Ex

(*a*) Deeſt *debitæ* in frag. Labb.
(*b*) Deeſt *ſed* in eod. frag.
(*c*) Deſunt in eod. frag. hæc verba, *ad dijudicandum generalem Synodum*.

Ex eodem Frag. 3. Holſten. & ex Frag. Labb, num. 3.

„ Nec (*a*) in hac parte vos hominum vanilo-
„ quia retardent dicentium, quia perſecutionem Ec-
„ cleſia faciat, dum vel ea quæ committuntur re-
„ primit, vel animarum ſalutem requirit. Errant hu-
„ juſmodi rumoris fabulatores. Non perſequitur,
„ niſi qui ad malum cogit. Qui vero malum vel
„ factum jam punit, vel prohibet ne fiat, non per-
„ ſequitur iſte, ſed diligit. Nam ſi, ut illi putant,
„ nemo nec reprimendus a malo ad bonum eſt, hu-
„ manas & divinas leges neceſſe eſt evacuari, quæ
„ & malis pœnam, & bonis præmia, juſtitia ſua-
„ dente, conſtituunt. Malum autem ſchiſma eſſe,
„ & per exteras etiam poteſtates hujuſmodi homines
„ debere opprimi, & canonicæ ſcripturæ auctoritas,
„ & paternarum regularum nos veritas docet. Quiſ-
„ quis ergo ab Apoſtolicis diviſus eſt ſedibus, in
„ ſchiſmate eum eſſe non dubium eſt, & contra uni-
„ verſalem Eccleſiam altare conatur erigere. Sed quid
„ de talibus inſertus Chalcedonenſi Synodo canon
„ ſtatuat, gloria veſtra conſideret, ubi poſt alia ſic
„ dicit: (Act. 4. can. Antioch. 5.) *Qui a communio-*
„ *ne ſeipſum ſuſpendit, & collectam facit, & altare*
„ *conſtituit, & noluerit vocanti Epiſcopo conſentire,*
„ *& noluerit eidem aquieſcere, neque obedire primò*
„ *& ſecundo vocanti, hunc omnino damnari, nec un-*
„ *quam vel orationem mereri, nec recipere eum poſſe*
„ *honorem. Quod ſi permanſerit turbas faciens & ſe-*
„ *ditio-*

(*a*) Fragm. Labb. ſic incipit: *Nos vos hominum.*

„ *ditiones Eccleſiæ, per exteram poteſtatem tanquam*
„ *ſeditioſus comprimatur*. Et Beatus Auguſtinus de
„ talibus dicit: (Enchir. cap. 72.) *Multa etiam cum*
„ *invitis benigna quadam aſperitate plectendis agenda*
„ *ſunt; quorum potius utilitati conſulendum eſt, quam*
„ *voluntati. Nam in corripiendo filio quantumvis aſ-*
„ *pere, nunquam paternus amor amittitur: fit tamen,*
„ *quod nollet, ut doleat, qui etiam invitus videtur*
„ *dolere ſanandus*. Ecce videtis, quemadmodum tan-
„ ti teſtimonio Patris non perſequatur exercendo talia,
„ ſed diligat emendando tales ſemper Eccleſia. Fa-
„ cite ergo etiam vos, quod ſcientes intentionem
„ chriſtianitatis veſtræ frequenter hortamur, & date
„ operam ut talia fieri ultra non liceat: ſed etiam
„ quod vobis non facillimum eſſe non dubito, hi
„ qui talia præſumpſerunt, ad piiſſimum Principem
„ ſub digna cuſtodia dirigantur. Recolere enim debet
„ Celſitudo veſtra, quid per vos Deus fecerit tempo-
„ re illo, quo Iſtriam, & Venetias tyranno Toti-
„ la poſſidente, Francis etiam cuncta vaſtantibus,
„ non ante tamen Mediolanenſem Epiſcopum fieri
„ permiſiſtis, niſi ad Clementiſſimum Principem ex-
„ inde retuliſſetis, & quid fieri debuiſſet ejus iterum
„ ſcriptis recognoviſſetis: & inter ubique ferventes
„ hoſtes, Ravennam tamen & is qui ordinabatur,
„ & is qui ordinaturus erat, providentia culminis
„ veſtri deducti ſunt.

Ex eod. Frag. Labb. nu. 3.

„ De Liguribus, atque Veneticis, & Iſtriis Epiſ-
„ copis quid dicam? Quos idonea eſt Excellentia ve-

„ ſtra,

„ ſtra, & ratione, & poteſtate reprimere; & dimittis eos in contemptum Apoſtolicarum Sedium „ de ſua ruſticitate gloriari? Cum ſi quid eos de judicio univerſalis Synodi, quod Conſtantinopoli per „ primam nuper elapſam indictionem actum eſt, forte „ movebat; ad Sedem Apoſtolicam, quomodo factum „ eſt (*a*) electis aliquibus de ſuis qui dare & accipere „ rationem poſſent, dirigere debuerunt, & non clauſis oculis Corpus Chriſti Dei noſtri, hoc eſt, ſanctam Eccleſiam lacerare. Nolite ergo dubitare, „ hujuſmodi homines principali vel judiciali auctoritate comprimere: quia regulæ Patrum hoc ſpecialiter conſtituerunt, ut ſi qua Eccleſiaſtici officii perſona, *cui ſubjectus eſt reſtiterit, vel ſeorſim collegerit, aut aliud altare erexerit, ſeu ſchiſma fecerit, iſte excommunicetur ſeu damnetur. Quod ſi forte & hoc contempſerit, & permanſerit diviſiones & ſchiſma faciendo, per poteſtates publicas opprimatur*. Ecce Domine, quod animus veſter forte „ timidus eſt, ne perſequi videaris, de Patrum vobis auctoritate hæc breviter vobis dirigenda curavi: „ cum mille alia exempla & conſtitutiones ſint, quibus evidenter agnoſcitur, ut facientes ſciſſuras in „ ſancta Eccleſia, non ſolum exiliis, ſed etiam proſcriptione rerum, & dura cuſtodia per publicas poteſtates debeant coerceri. „

Initium deeſſe huic epiſtolæ videtur. Datam eſſe poſt præcedentem priora verba evincunt. Ait Pontifex: *Iſtud eſt, quod a vobis popoſcimus, & nunc iterum poſtulamus, ut Paulinum Aquilejenſem Pſeude piſcopum, & illum Mediolanenſem Epiſcopum ad clementiſ-*

(*a*) Hic aliquid deeſſe videtur.

tiſſimum Principem ſub digna cuſtodia dirigatis. Nunc iterum poſtulat, quod jam præcedente epiſtola popoſcerat illis verbis, quæ primo in fragmento habentur; *Auferte tales ab iſta Provincia... Quod tunc plenius fieri poterit, ſi auctores ſcelerum ad Clementiſſimum Principem dirigantur, & maxime Aquilejenſis Eccleſiæ invaſor*. Huic fragmento alterum conjungi debere, diſcimus ex fragmento Holſteniano, in quo conjuncta ſunt, ac rerum quoque ſuadet contextus. Dixerat Pontifex in calce primi fragmenti; contumaces & obſtinatos Epiſcopos, qui doceri nolunt, *aut attrahi ad ſalutem quoquomodo, aut ſecundum canones per ſeculares comprimi* debere *poteſtates*. Ad id agendum Narſetem incitat in ſecundo fragmento, nullam hic eſſe perſecutionem oſtendens, ut ſchiſmatici fabulabantur; ac Patrum ſententias & Conciliorum canones allegans, quibus poteſtatum ſecularium ſubſidium implorandum præſcribitur. Tertium denique fragmentum ſequitur, quod junctum eſt cum ſecundo in fruſto Labbeano: eoque videtur epiſtola claudi; nam tales eſſe Ligures, Venetici, & Iſtrii oſtenduntur, ut *cum permaneant, diviſionem & ſchiſma faciendo*, ſecundum allatos canones *per Poteſtates publicas opprimi* debeant. Eo vero tendit totius epiſtolæ argumentum, ut Narſes Patricius, qui adverſus Dei Sacerdotes & Epiſcopos aliquid agere plus nimio metuebat, nihil vereretur eoſdem utpote ſchiſmaticos brachii ſecularis vigore coercere, eoſque poteſtate comprimere, qui Apoſtolicam ſollicitudinem contemnebant.

De Viris *Patriciis*, & *Illuſtribus* pauca poſtremo loco dicenda ſunt, quorum nomina prædictis fragmentis apud Baronium, Labbeum, & Holſtenium

inſcripta leguntur. Nihil eſt, quod de *Narſete* dicam, celeberrimo ac notiſſimo Duce, qui rerum Italicarum ſumma cum poteſtate præfecturam geſſit, a Juſtiniano Imperatore contra Gothos miſſus anno DLI. peſſimoque juſtini junioris conſilio Conſtantinopolim revocatus anno circiter DLXVII. Noti quoque ſunt in eodem bello Gothico *Joannes*, & *Valerianus*, *Viri Patricii*, quorum geſta, ac etiam Narſetis, Procopius, & Agathias deſcribunt. Denique *Viatorem*, & *Pancratium* militaſſe contra Gothos & Francos in Italia, nullus dubito. Dicuntur *illuſtres*, quo titulo Magiſtri militum inſigniri ſolebant. Hinc miratio nulla debet eſſe, quod eorum nomina eiſdem Pelagii epiſtolis inſcripta ſint: vero namque ſimillimum eſt, ad eos omnes eaſdem Pontificem dediſſe litteras, ut ſimul omnes in ſchiſmaticos Liguriæ, Venetiæ, & Iſtriæ coercendos permoveret.

Prædicto Joanni aliud a Pelagio Pontifice contra ſchiſmaticos datum puto epiſtolæ fragmentum, quod Baluzius vulgavit Lib. 5. Miſcellaneorum. Inſcriptio ejus eſt: *Pelagius Papa Joanni Magiſtro militum*. Epiſtolæ verba ſubjicio: *Paterno vos ſalutantes affectu petimus, ut ſi prodeſſe catholica paci contenditis, Paulinum Foroſimpronienſem Pſendepiſcopum ad nos ſub digna cuſtodia dirigatis. Satis enim turpe eſt, ut veſtram vivacitatem illic poſitam illudere glorietur; & nec comprimi a vobis, nec retineri poſſe, ad ſuam ſuperbiam jactet. Nolite ergo multam, & in veſtris prorumpentem injuriis contumaciam vagari permittere: ſed præfatum Pſeudepiſcopum, veſtrorum hominum ſollicitudine detentum, ad nos, ſicut dictum eſt, dirigere feſtinate*. Nullus occurrit apud Ughellium

lium in Tabulis Foroſempronienſibus per hæc tempora Paulinus Epiſcopus : ſed illæ mutilæ cum ſint ac imperfectæ, Foroſempronienſem ejus nominis Antiſtitem liberius negare non auſim. Quidni vero legendum conjiciamus *Paulinum Aquilejenſem*, cum apprime conveniant nomen, & *Pſeudepiſcopi* attributum, quo ipum in aliis epiſtolis ad Narſetem, ipſumque Joannem datis appellat Pelagius? Paulini quoque ipſiſſima flagitia deſcribuntur, qui præcipuus erat ſchiſmatis incentor, catholicam pacem perturbabat, ac nimia ſuperbia Apoſtolicam ſollicitudinem contemnebat, operamque illudebat Ducum imperialium. Scripſerat demum Pelagius ad Narſetem, ſcripſerat etiam ad Joannem, alioſque militum Magiſtros, ut Aquilejenſis Eccleſiæ invaſorem *ad Clementiſſimum Principem ſub digna cuſtodia* Conſtantinopolim *dirigerent*. Id factu difficile cum fortaſſe poſtea noverit Sanctiſſimus Pontifex, illud ſaltem abs Joanne expoſcit, ut eumdem *Pſeudepiſcopum* ad ſe Romam *ſub digna* itidem *cuſtodia dirigat*, ubi ad unitatem catholicam paſtoralis officii aut indulgentia, aut ſeveritate perduci queat. Hanc mihi de Baluziano fragmento proponere conjecturam licuit: peritiorum vero, doctiorumque eſto judicium.

C A-

CAPUT IV.

Paulinus, canonica prætermiſſa veteri conſuetudine, Aquilejenſis Metropolita eligitur, & ordinatur. Vetus illa conſuetudo exponitur. De Mediolanenſi Epiſcopo ordinatore agitur.

APoſtolicam Pelagii I. ſollicitudinem, ut Ligures, Veneticos, ac Iſtrios ad Eccleſiæ unitatem reduceret, hominum improborum tumultus, & iniqua facinora, Narſetis quoque operam, aliorumque Patriciorum, & Illuſtrium virorum contra ſchiſmatis auctores, compendio narravimus capite ſuperiore. Peculiaria quædam occurrunt facta, quæ ſeveriori examine expendi oportet, ut Aquilejenſi ſchiſmati, quod exponere pro viribus aggreſſi ſumus, lux magna accedat.

Narſetem urgebat vehementiſſime Pelagius, ut ſchiſmatis auctores, pro Catholicæ Eccleſiæ unitate ſervanda, maximeque *Eccleſia Aquilejenſis invaſorem* Paulinum, ejuſque ordinatorem *Mediolanenſem Epiſcopum*, ſub digna cuſtodia ad Juſtinianum Imperatorem Conſtantinopolim dirigeret, a quo eorum frangeretur pervicacia. Hæc in epiſtola ſecunda, & tertia leguntur.

Invaſorem Eccleſiæ Aquilejenſis vocat Paulinum, atque Pſeudepiſcopum. Id primo comprobat, quia *eſt in ſchiſmate, & in eo maledictus* (verba refero epiſtolæ 2.) *nec honorem Epiſcopi poterit retinere, nec*

me-

meritum : Amplioribus verbis rationem exaggerat Pontifex: *Pudenda namque*, inquiens, *ut ita dicam rapina, in diviſione eſt non conſecratus, ſed execractus Epiſcopus. Si enim ipum nomen conſecrationis rationabili, ac vivaci intellectu diſcutimus, is qui cum univerſali detrectat conſecrari Eccleſia, conſecratus dici vel eſſe nulla ratione poterit. Conſecrare enim eſt ſimul ſacrare. Sed ab Eccleſiæ viſceribus diviſus, & ab Apoſtolicis Sedibus ſeparatus execrat ipſe potius; & non conſecrat. Jure ergo execratus tantum, non conſecratus poterit dici, quem ſimul ſacrare, in unitate conjunctis membris, non agnoſcit Eccleſia.* Satis intelligimus, conſecratum Aquilejæ Paulinum, inſuper habito Eccleſiæ univerſæ Pontificis, ſimulque Occidentis Patriarchæ conſenſu, omnique ſubtracta a ſedibus Apoſtolicis dependentia: unde *invaſor* dicitur, *Pſeudepiſcopus, non conſecratus*, ſed *execratus Epiſcopus*.

Alio ex capite Paulinum invaſorem Eccleſiæ, quam regendam ſuſceperat, dici debere, oſtendit Pelagius, quod ipſe contra canonicam conſuetudinem Epiſcopus electus, ordinatuſque fuerit. Verba ejus ſunt loc.cit. *Videamus tamen, utrum vel ipſarum conſuetudinem partium in ſua ordinatione conſervarint. Nempe is mos antiquus fuit, ut quia pro longinquitate, vel difficultate itineris ab Apoſtolico onerosum illis fuerat ordinari; ipſi ſe invicem, Mediolanenſis, & Aquilejenſis, ordinare Epiſcopi debuiſſent: ita tamen, ut in ea Civitate, in qua erat ordinandus Epiſcopus, alterius civitatis Pontifex occurrere debuiſſet, ut ordinandi electio a præſenti ordinatore; ex conſenſu univerſalis, cui præficiendus erat Eccleſia, melius ac facilius potuiſſet*

agno-

agnoſci : & in ſua qui ad Epiſcopatum provehendus erat, nec tamen ordinatori ſuo ſubdendus fuerat, ordinaretur Eccleſia. Lacuna ſequitur in textu, quam ex parte ſupplent ea tertiæ epiſtolæ verba, quæ produnt, Paulinum *contra omnem canonicam conſuetudinem factum eſſe* Epiſcopum : & Mediolanenſem Antiſtitem *contra morem antiquum eum ordinare præſumpſiſſe*. Tria paulo diligentius inveſtiganda ſunt. Quinam fuerit mos ille antiquus in ordinatione Aquilejenſis, vel Mediolanenſis Epiſcopi ſervari ſolitus? Quomodo violatus mos idem fuerit in ordinatione Paulini? Quis ille demum dicendus Metropolita Mediolanenſis, qui Aquilejenſem Antiſtitem contra morem antiquum ordinaverit?

Morem antiquum, aut illarum partium conſuetudinem exhibent relata verba. Se invicem ipſi, Mediolanenſis, & Aquilejenſis, Metropolitæ ordinabant, Epiſcopo ordinatore ad Eccleſiam, & Urbem ordinandi accedente, ut ibi coacta Comprovincialium Epiſcoporum Synodo, eorum ac plebis melius & facilius agnoſceret conſenſum. Ex indulgentia, ac privilegio Sedis Apoſtolicæ profectum id eſſe, nos allegata Pontificis ratio docet: *Quia pro longinquitate, vel difficultate itineris ab Apoſtolico oneroſum illis fuerat ordinari*; unde cum propior eſſet Ravenna civitas, electus ibi Metropolitanus, qui duobus prædictis tertius acceſſit in Italia, Romam ordinandus ex lege & more properare cogebatur, ut hujus ævi notiſſima exempla manifeſtant. Digna ſunt animadverſione ea verba : *Et in ſua qui ad Epiſcopatum provehendus erat, nec tamen Ordinatori ſuo ſubdendus fuerat, ordinaretur Eccleſia* : quæ antiquum utriuſque Epiſcopi, Aquilejenſis, & Me-

diolanenſis, metropoliticum jus indicant, quo alter alteri non ſubdebatur.

Atqui Paulino manus impoſuiſſe Mediolanenſem Antiſtitem, ſcribit Pelagius : idque in ejuſdem ordinandi Civitate factum, nulla videtur dubitandi ratio. Quodnam ergo vitium electionis aut ordinationis fuerit, quo canonicam conſuetudinem neglectam, violatumque morem antiquumfuiſſe, tradit idem Pontifex? Perquiſitioni præbet anſam mutilus epiſtolę textus. Pro certo compertoque tamen habeo, non ſolum ab altero Antiſtite, vel Aquilejenſi, vel Mediolanenſi, alterum ordinari debuiſſe; neque ſolum id Epiſcopi Ordinatoris fuiſſe munus, ut Eccleſiæ, cui alter præficiendus erat, conſenſum & voluntatem exploraret: verum id etiam Romano Pontifici, qui prædicta duo ex indulgentia Sedis Apoſtolicæ conceſſerat, neceſſario referendum, ejuſque conſenſum expectandum. Id omiſſum fuit in electione & ordinatione Paulini ſchiſmatici : unde jure meritoque dicitur alter *contra canonicam conſuetudinem Epiſcopus factus*, & alter *contra morem antiquum ordinare præſumpſiſſe*.

Alia eſt Eminentiſs. Cardinalis Noriſii ſententia in Diſſert. hiſt. de Synodo V. cap. 9. §. 1. Duo proponit ille, ut vitium ordinationis Paulini declaret. Ea primum ratione ſcribit, *contra ſedis Apoſtolicæ decretum ordinatum fuiſſe Aquilejenſem Metropolitam, quod Pelagius, cum ubique in Italia contra Synodum quintam ſchiſma conflari intelligeret, optimum factu judicavit, eos qui in urbium Epiſcopos conſecrabantur, ad eamdem Synodum tuendam Sacramento adigere;* ac Paulinus ordinatus a Mediolanenſi Antiſtite fuerat abſque ullo ad Apoſtolicam Sedem juramento tranſmiſſo. Id ſolum

præ-

prætermiſſum in ordinatione Paulini ſi dicamus, Noriſii conjecturam ſequentes; dici quidem ille potuiſſe contra nuperum ac recens decretum Sedis Apoſtolicæ ordinatus, minime *contra canonicam illarum partium conſuetudinem*, ut ait Pontifex, & *morem antiquum*: nec enim canonica illarum partium conſuetudo, aut mos antiquus dici poteſt cautionum uſus, quibus tria damnare capitula, & Synodum quintam recipere novi Antiſtites Sacramento adigebantur, ſi tamen Pelagii I. ætate invectus fuerit, cum prima cautionum mentio occurrat anno DLXXIII. ut capite primo animadvertimus. Accedit, Apoſtolicam Sedem haud ſemper cautionis libellos a nuper electis Epiſcopis poſtulaſſe, in quibus tueri quintam Synodum, ac tria proſcribere capitula jurejurando adigerentur; cum ſatis illi fuerit cautiones recipere, quibus ejurato ſolum ſchiſmate, unitatem Eccleſiæ catholicæ conſervare jurabant, qui urbium Epiſcopi conſecrabantur.

Præterea, *cum Aquilejenſis Eccleſia* (alterum Noriſii reſponſum eſt) *ſubjecta eſſet juri Patriarchico Romani Præſulis, defuncto Epiſcopo Metropolita, a Romano Pontifice vir delegabatur, qui ſuo nomine electioni novi Sacerdotis adeſſet*; nec alium eligi conſentiret, niſi catholicum, a ſchiſmate alienum, atque communione cum Apoſtolica Sede conjunctum. Nihil tale nos docent Pelagii verba, imo repugnant. Ipſe namque *præſens Ordinator* Epiſcopus, vel Mediolanenſis, vel Aquilejenſis, qui ad urbem & Eccleſiam ordinandi accedebat, non alius a Romano Pontifice vir delegatus, debuiſſe dicitur juxta *morem antiquum*, & *illarum partium conſuetudinem*, ordinandi electionem moderari; ac utrum eſſet *ex conſenſu univerſalis, cui præficien-*

ſciendus erat Eccleſiæ, cognoſcere & explorare. Hinc pronum eſt colligere, in electione aut ordinatione Paulini illud occurriſſe vitium, quod indicavimus: Romani ſcilicet Pontificis nomine non adfuiſſe illius electioni Mediolanenſem Ordinatorem, ac citra conſenſum Sedis Apoſtolicæ ordinatum eſſe Aquilejenſem: unde contra canonicam conſuetudinem hic ordinatus Epiſcopus fuit, & ille contra morem antiquum eum ordinare præſumpſit.

Sibi favere arbitratur Scriptor Eminentiſſimus Magni Gregorii verba, ad Romanum Patricium ſcribentis de Conſtantio in demortui Laurentii Mediolanenſis locum ſubrogando Lib. 2. epiſt. 31. *Neceſſe fuit pro ſervanda conſuetudine, militem Eccleſiæ noſtræ dirigere, qui eum, in quo omnium voluntates atque conſenſum concorditer convenire cognoverit, a ſuis Epiſcopis, ſicut vetus mos exigit, cum noſtro tamen aſſenſu faciat conſecrari*. Militem hunc intelligit Gregorius Joannem Diaconum, quem ex præcedente epiſtola 30. Roma directum miſſumque fuiſſe conſtat: diciturque *miles*, quia in Romanæ Eccleſiæ clero militabat. Hæc eadem fere verba prædicto Joanni ſcribit Pontifex: *Si quidem*, inquiens, *in prædicto filio noſtro Conſtantio omnium voluntates atque conſenſum perdurare cognoſcis, tunc eum a propriis Epiſcopis, ſicut antiquitatis mos exigit cum noſtræ auctoritatis aſſenſu, ſolatiante Domino, facias conſecrari: quatenus hujuſmodi ſervata conſuetudine, & Apoſtolica Sedes proprium vigorem ſuſtineat, & a ſe conceſſa aliis ſua jura non minuat*.

Minime Noriſio hæc loca favent: imo ſi paullo attentius expendantur, illud ipſum vitium in ordinatio-

tione Paulini ſignificant, quod jam expoſuimus. Utraque in loco conſuetudo quædam clare, & ſine ulla ambage a veteri more diſtinguitur. Vetus mos erat, ut Metropolita a Provinciæ Epiſcopis, Romani Pontificis prævio aſſenſu in Italia certe conſecraretur. Communi prædicto antiquo mori id peculiare, ac proprium in Eccleſiis Aquilejenſi, & Mediolanenſi adjectum obtinebat, ut electioni præeſſet, electumque conſecraret, non aliquis ex Provincia Epiſcopus, ſed alterutrius Eccleſiæ, Aquilejenſis vel Mediolanenſis, Antiſtes: unde antiquam vocat Pelagius *illarum partium* conſuetudinem. Alia vigebat ævo Gregorii conſuetudo, ut Romanæ Eccleſiæ miles aut clericus dirigeretur, qui plebis & ſuffraganeorum voluntates agnoſceret, de communi conſenſu ſummum Pontificem certiorem faceret, ac ſedis demum Apoſtolicæ conſenſum impetraret. Hæc recens inducta fuerat conſuetudo ſchiſmatis occaſione. Ordinationis Paulini tempore non obtinuiſſe, certiſſimos nos facit Pelagius, qui diſerte ſcribit: *Præſentis ordinatoris* Epiſcopi, vel Aquilejenſis, vel Mediolanenſis, non alterius militis Roma directi, munus fuiſſe, ut ipſe ad urbem Ordinandi accedens, *conſenſum univerſalis, cui præficiendus erat Eccleſiæ, melius & facilius agnoſceret*.

Hæc igitur conſuetudo vitium non aperit, quo Paulini ordinatio laborabat. In ipſo veteri more, & illarum partium conſuetudine quærendum eſt. Duo diſtinguit Pelagius: mos enim erat, ut alteruter Metropolita, Aquilejenſis aut Mediolanenſis, alterum ordinaret; ac inſuper Eccleſiæ, cui præficiendus erat, ordinator Epiſcopus conſenſum exploraret. Lacuna, quæ ſequitur in textu, tertiam ſupprimit conditionem. Hanc

Gregorius manifeſtat in eo poſitam, ut electus Epiſcopus nonniſi obtento Romani Præſulis conſenſu conſecraretur; ejuſque electioni nomine Pontificis ordinator Epiſcopus præeſſet. Priora duo in ordinatione Paulini obſervata: tertium prætermiſſum; adeoque contra morem, & canonicam illarum partium conſuetudinem factus ille Epiſcopus eſt. Sic intellectæ Pelagii, & Gregorii epiſtolæ optime cohærent: aliter omnino invicem pugnant.

Ordinatorem Paulini, ſuppreſſo nomine, *illum* vocat *Mediolanenſem Epiſcopum* Pelagius. Quis ille fuerit, poſtremo loco dicendum eſt. In Tabulis Mediolanenſibus hujus ævi Metropolitæ recenſentur *Dacius*, *Vitalis*, *Auxanius*, *Honoratus*. Virum hunc ſanctiſſimum citra conſenſum Romani Pontificis voluiſſe imponere Paulino manus, nefas eſt ſuſpicari. Accedit chronologica ratio, cum ipſe Mediolanenſem Eccleſiam regendam ſuſceperit anno DLXVIII. ut clariſſimi Viri demonſtrant, uno vel altero ante Paulini obitum anno. Sed neque Auxanium id egiſſe, ſimili chronologica ratione probatur: cum eidem duo tantum ſedis anni in tabulis aſſignentur; adeoque Antiſtes Mediolani anno circiter DLXVI. electus fuerit, novem poſt ordinationis Paulini annos, quem Aquilejenſem invaſiſſe Eccleſiam anno DLVII. adnotavimus.

Dacium vita functum, ac Vitalem in ejus locum ſuffectum eſſe anno DLII. nondum celebrata Synodo V. ex eo colligitur, quod Narſetis opera, ordinator Aquilejenſis Macedonius, & ordinandus Vitalis Mediolanenſis, Ravennam juxta Imperatoris mandata, teſte Pelagio, ducti ſunt, ut ordinatio procede-

deret cum utriuſque, Ordinatoris, & Ordinandi, ſponſione tria proſcribendi capitula, ſi ea quoque Synodus, quæ Conſtanſtinopoli habebatur, damnaſſet. Rem totam narravimus capite 2. Quatuor annos Vitali tribuunt catalogi: unde mortem obiit anno DLVI. integro anno, & amplius ante Paulini ordinationem. Undecim, vel duodecim annorum intervallum uſque ad Auxanium ſupplendum manet. *Quid ergo?* (inquit Papebrochius in Exegeſi de Epiſcopis Mediolanenſibus Tom. 7. Maii.) *Quem nominare non eſt dignatus Pelagius Papa, dicam innominatum latere: & quamvis totis duodecim annis* (vel undecim, ab anno DLVI. ad annum DLXVI.) *Eccleſiæ Mediolanenſi incubuerit, (ſicut olim Auxentius, exule & mortuo Dionyſio) a reverſis ad Eccleſiæ unitatem Mediolanenſibus ex punctum e Diptychis*. Aut Vitali ſane plures, quam anni quatuor, tribuendi ſunt: aut ſi tabulis fides habenda, innominatum Vitali Metropolitam ſucceſſiſſe dicendum eſt, qui Paulinum Aquilejenſem in ſchiſmate ſocium contra morem antiquum, ideſt, conſenſu Romani Pontificis nec poſtulato, nec obtento, ordinaverit.

Sed hunc Paulini ordinatorem, quem Pelagius inter ſchiſmatis auctores Conſtantinopolim ſub digna cuſtodia dirigendos collocat, mirum eſt, omni alio prætermiſſo juſtæ indignationis verbo, ſolum appellari *illum Mediolanenſem Epiſcopum*, cum Paulinum *Pſeudepiſcopum* vocet, *execratum Epiſcopum*, & *Eccleſiæ invaſorem*! Si diſtinguendus, ut Papebrochio placet, innominatus ille ſit, is a Macedonio Aquilejenſi ordinari debuit. An vero ſchiſmaticus Macedonius, ejuſdemque rebellionis particeps ordinandus, Pontificis agnoverint auctoritatem, ejuſque conſenſum

poſtulaverint? An a ſchiſmatico Aquilejenſi ſchiſmaticum alium Mediolani Epiſcopum conſecrari permiſerit Romanus Preſul? His ego permoveor, ut Mediolanenſem Paulini ordinatorem Vitalem ſuſpicer, a Macedonio Ravennæ ordinatum, nondum ſchiſmate facto: adeoque ſedis ejus non quatuor, ſed annos quatuordecim numerari debere.

CAPUT V.

Synodum cogit Aquilejæ Paulinus adverſus generale quintum Concilium. Differt a Synodo, quam memorat Beda. In Gradum inſulam, metu Langobardorum, migrat idem Paulinus. De Maximiliano, & Thracio ſeu Eufraſio ſchiſmaticis Epiſcopis agitur.

IN tertia, quam numeramus, data ad Narſetem alioſque Viros Patricios, & illuſtres a Pelagio epiſtola, temerarium Paulini facinus Pontifex idem arguit, quod Synodum particularem congregare auſus fuerit. Verba ejus ſunt in Frag. apud Labbeum nu. 5. *Nec licuit aliquando, nec licebit Synodum congregare.* Integer textus, & emendatior habetur in ſimili fragmento Holſteniano: *Sed nec licuit aliquando, nec licebit, particularem Synodum ad dijudicandum generalem Synodum congregari.*

Bollandus ad diem 8. Febr. in Vita S. Honorati §. 2. num. 10. ſcribit: *innuere* Pelagium relatis ver-

bis

bis, prædictam Synodum, *Aquilejenſis Epiſcopi* (Paulini) *conſecrandi cauſa, congregatam fuiſſe*. Refert Antonius Pagius ad Annum DLVIII. num. 9. *Hujus* (Synodi) *cujus obſcura mentio in laudata tantum epiſtola Pelagii, cauſam etiam obſcuram eſſe: adeoque aliquos exiſtimare*, Synodum eamdem *tantum Aquilejenſis Epiſcopi conſecrandi cauſa coactam eſſe: & ita explicandum Pelagium*. Falluntur viri docti, quotquot Synodi cauſam obſcuram, arbitrati ſunt; eamque ob ſolam eligendi, & conſecrandi Aquilejenſis Metropolitæ Paulini cauſam celebratam eſſe. Decepit eos mutilus textus fragmenti Labbeani. Se ipſum explicat Pelagius, litemque dirimit omnem in fragmento Holſteniano. Proditur ibi: *Particularem* illam *Synodum* præter fas omne *ad dijudicandum generalem Synodum congregatam eſſe*. Hoc eſt, ſchiſmatici Epiſcopi cum ſuo Aquilejenſi Metropolita, ſpreta ſedium Apoſtolicarum, maximeque Romanæ auctoritate, dijudicarunt in particulari Synodo, labefactari Synodum Calchedonenſem trium damnatione capitulorum: adeoque Synodum quintam, in qua conclamatum in eadem capitula anathema fuit, rejiciendam eſſe.

Hunc ſenſum confirmant, quæ ſequuntur verba in utroque fragmento Labbeano, & Holſteniano, ſeu in epiſtola, quam tertio loco edidimus. Ait enim Pelagius: *Sed quoties aliqua de univerſali Synodo aliquibus dubitatio naſcitur, ad recipiendum de eo, quod non intelligunt, rationem, aut ſponte hi qui ſalutem animæ ſuæ deſiderant, ad Apoſtolicas Sedes pro recipienda ratione conveniant: aut ſi forte.... ita obſtinati, & contumaces extiterint, ut doceri non velint,*

eos ab eiſdem Apoſtolicis ſedibus aut attrahi ad ſalutem quoquomodo neceſſe eſt ; aut ne aliorum perditio eſſe poſſint, ſecundum canones per ſeculares opprimi poteſtates. Plura nitidiſſime patent. 1. Dubitabant Aquilejenſes, & Comprovinciales Epiſcopi de Synodo quinta generali, eamque veluti adverſam Calchedonenſibus decretis contemnebant. 2. Sedes Apoſtolicas, maximeque Romanam interpellare pro ſumma arrogantia noluerunt, ut de eo, quod non intelligebant, rationem reciperent. 3. Synodum ipſi congregavere, in qua privata auctoritate Synodum dijudicare generalem auſi ſunt. Idem evincunt hæc alia verba: *De Liguribus, atque Veneticis, & Iſtriis, Epiſcopis quid dicam?.... Si quid eos de judicio univerſalis Synodi, quod Conſtantinopoli per primam nuper elapſam indictionem actum eſt, forte movebat, ad ſedem Apoſtolicam electis aliquibus de ſuis, qui dare, & recipere rationem poſſent, dirigere debuerunt: & non clauſis oculis Corpus Chriſti Dei noſtri, hoc eſt, ſanctam Eccleſiam lacerare*. Hinc prædicta in Synodo ſchiſma confirmatum eſt, maximeque apparuit rebellio Aquilejenſium, ſibi vendicato de generali Synodo judicio, ſpreta Romanæ Sedis auctoritate, unitate rupta, ac lacerato Corpore Chriſti, quod eſt ſancta Ecelеſia.

De actis hujuſce Synodi ſchiſmaticæ, aut parte actorum infra agendum mihi eſt. Quo anno celebrata fuerit, paucis differo. Coactam ſcilicet eſſe occaſione ſumpta Aquilejenſis Metropolitæ Paulini eligendi, & conſecrandi, ut Bollando, & Pagio placet, ultro fateor: unde ad annum DLVII. referenda eſt. Epiſcopos ſuffraganeos frequentes interfuiſſe, pronum eſt colligere, ut plena Provinciæ Synodo de re ſum-

mi

mi momenti tractaretur, ac is præficeretur Aquilejenſi Eccleſiæ Metropolita, qualem difficilia tempora expoſcebant. Mediolanenſis quoque ſchiſmaticus ordinator adfuit: adeoque ob id etiam flagitium, *Ligures* a Pontifice ſimul jungi cum *Veneticis*, ac *Iſtriis*, veriſimillimum puto; eandemque ob cauſam cum Paulino, invaſore Aquilejenſis Eccleſiæ, ad Imperatorem dirigi Mediolanenſem ordinatorem poſtulabat Pelagius.

Memorat Venerabilis Beda Synodum Aquilejæ hac de re celebratam, quæ utrum eadem ſit cum prædicta Paulini, inquiri ſolet. Abbatis verba ſunt in Chronico, ſeu in Libro de ſex ætatibus mundi: *Tiberius* (Abſimarus, qui anno DCXCVIII. imperare cœpit) *annos 7. Synodus Aquileja facta ob imperitiam fidei, quintum univerſale concilium ſuſcipere diffidit, donec ſalutaribus Beati Papæ ſergii monitis inſtructa, & ipſa huic cum cæteris Chriſti Eccleſiis adnuere conſentit*. Synodum ipſam, quam habuit Aquilejæ Paulinus, à Beda ſignificari, ex illo adverbio *Donec* non obſcure colligi poſſe, arbitratur Noriſius in Diſſert. cit. cap. 9. §. 1. *eo quod ille error* (ut ait) *ac pravum de Synodo quinta judicium diu ante ſergium apud Aquilejenſes invaluerat*. Unde Bedæ ſenſus videtur eſſe: ab Aquilejenſi Paulini Synodo quintam generalem reprobatam fuiſſe, donec ſalutaribus Beati Papæ Sergii monitis inſtructi Aquilejenſes, eam cum cæteris Chriſti Eccleſiis, errore depoſito, ſuſceperunt. Sed aliam diſtinctam a Venerabili Abbate Synodum intelligi, infra demonſtrandum eſt. Satis fuerit hoc loco adnotare: Epiſcopos in Synodo, cujus mentionem Beda facit, *fidei* ſolum *imperitos* pro-

prodi: eoſque *diffidentes* duntaxat dici, num *ſuſcipere quintum univerſale concilium deberent*. At Paulinus, ejuſque collegæ, nedum imperiti fidei, ſed contumaces Romanæ Sedis, & aliarum quæ capitula damnaverant contemptores; non ſolum quintum univerſale concilium ſuſcipere diffidebant, ſed quintum ipſum generale concilium *dijudicare* (quod nunquam licuit) in *Synodo particulari* auſi ſunt. Hæc ſane comparatio Synodos indicat diſtinctas, ac diverſo tempore celebratas: alteram ſchiſmatis æſtu fervente, alteram ſchiſmate fere compreſſo, atque in ſolam diffidentiam mutato.

Interim jacebat in ſchiſmate Paulinus, cum, Langobardis Italiam invadentibus, urbem, & Sedem Aquilejenſem deſerere coactus eſt; ac in Inſulam Gradum in æſtuariis Maris Adriatici, exportato Eccleſiæ theſauro, migravit. Id narrat Paulus Diaconus Lib. 2. cap. 10. his verbis: *Hoc etiam tempore* (quo Langobardi, relicta Pannonia, Narſete inſtigante, per Forojulienſem regionem in Italiam irrupere) *Romanam Eccleſiam Vir Sanctiſſimus Benedictus Papa regebat. Aquilejenſi quoque civitati, ejuſque populis Beatus Paulus Patriarcha praerat. Qui Langobardorum barbariem metuens, ex Aquileja ad Grados inſulam confugit, ſecumque omnem ſua theſaurum Eccleſia deportavit*. Ad hunc Diaconi locum notam appingit Adnotator Mediolanenſis his verbis: *Paulinum Aquilejenſem Archiepiſcopum, non Paulum, metu Langobardorum de Aquileja in Gradum inſulam, exportato Eccleſia theſauro, migraſſe, accuratiſſime probat Eminentiſs. Noriſius in ſua Diſſert. de V. Synodo, eumdem illum, de quo Pelagii Papa I. ad Narſetem epi-*

ſto-

ſtolæ. Verum *Pauli* nomen bis habet Diaconus hiſtoricus; eodemque nomine (ut in notis ad Synodum Mantuanam anno DCCCXXVII. celebratam animadvertimus Tom. 9. Concilior. edit. Venet.) hunc Antiſtitem Aquilejenſem appellant Dandulus, & catalogi Mſs. Nullam præterea hac de re movet litem Henricus Noriſius, licet eundem malit cum Pelagio Papa *Paulinum* appellare. Nominis eſt diſcrepantia: idem Aquilejæ Metropolita.

De Pannonia Langobardos *egreſſos eſſe menſe Aprili*, ſcribit Diaconus Lib. cit. cap. 7. *per indictionem primam, alio die poſt ſanctum paſcha, cujus feſtivitas eo anno juxta calculi rationem ipſis Calendis Aprilibus fuit, cum jam a Domini incarnatione anni quingenti ſexaginta octo eſſent evoluti*. Volvebatur nempe annus vulgaris æræ DLXVIII. quo indictione prima Paſcha Cal. Aprilis celebratum fuit, Ciclo lunæ XVIII. ſolis XVII. Litt. Dom. A G. Unde eodem anno Paulini migratio in Gradum inſulam contigit. Alligant alii anno inſequenti Langobardorum in Italiam irruptionem: ſed inſignem Diaconi epocham vindicant alii, quibus adhæreo. Cum hæc vero accidiſſe, Benedicto Romanam Eccleſiam regente, ſcribit Paulus, corrigendus eſt; cum ad Eccleſiæ regimen evectus ille fuerit anno DLXXIV. poſt Joannem III. qui ab anno DLX. Pontificatum tenuit. Latius tamen, Benedicti ætate, dominatos eſſe Langobardos Italiæ, tradit ſcriptor vitæ ejus apud Anaſtaſium: *Ejuſdem tempore*, inquiens, *gens Longobardorum invaſit totam Italiam*; vel ut habet editio Franciſci Blanchini: *Eodem tempore gens Longobardorum invaſit omnem Italiam*. Ubi verba illa, *Totam*,

vel

Digitized by Google

vel *omnem Italiam*, non ipſum eorum adventum, ſed latiorem ſignificant dominationem.

Præter Paulinum Aquilejenſis Eccleſiæ invaſorem, alios nominat in epiſtolis ad Narſetem datis Pelagius pertinaciſſimos Epiſcopos, Metropolitæ ſui in ſchiſmate ſocios. Appellatos legimus in epiſt. 1. *Thracium*, & *Maximilianum*, qui dicuntur *nomina tantum Epiſcoporum habentes*, *Eccleſiaſticæ unitatis perturbatores*, raptoreſque bonorum Eccleſiæ. In epiſt. 2. *Eufraſii* cujuſdam mentio fit, homicidæ, adulteri, & inceſtuoſi. Maximilianum eumdem eſſe, ac Maximianum Ravennæ Epiſcopum, ſcribunt recentes plerique ſcriptores, quos refellere nititur Hieronymus Rubeus in ejuſdem Ravennatis Epiſcopi vita, & apud Bollandum Die 22. Februarii. Rem faciunt compertiſſimam Pelagii verba, quibus narrat: *Contra Maximilianum per tam longum iter*, *neceſſitate compellente*, *quoſdam infatigabiliter venientes*, ſibi *preces obtuliſſe*. Locus indicatur Roma longe diſſitus, ac longum dicitur iter, & arduum: quæ certe Ravennæ ac inde Romam profectioni non conveniunt. Chronologiæ quoque calculi repugnant; cum Maximianus Ravennas a Vigilio Papa Patris in Achaja pridie idus Octobris anni DXLVI. ordinatus, objerit anno DLII. At vero cum hæc ſcriberet ad Narſetem Pelagius, Ravennatem Eccleſiam adminiſtrabat Agnellus. Pro *Thracio* altero ſchiſmatico Epiſcopo *Tertium* ſubſtituit in margine Baronius ad Annum DLVI. num. 12. Quidni *Thracii* loco legendus fuerit *Eufraſius*, cujus improbos mores deſcribit in epiſtola ſecunda Pontifex? Omnia conveniunt, duabus initialibus litterulis exceptis, quas minus apte in codice exaratas, aut

jam

jam corroſas minus forte intellexit primus deſcriptor;
poſuitque *Thracium* pro *Eufraſio*.

Ligures certe, aut Venetos, aut Iſtrios dicendos eſſe Epiſcopos, compertum eſt; cum eoſdem memoret, ac inſequatur Pelagius: *De Liguribus*, inquiens, *atque Veneticis, & Iſtriis quid dicam?* Iſtrios fuiſſe, ſcribit Rubeus loco citato. Suffraganeos Aquilejenſis Metropolitæ crediderim; non Ligures; ſed Iſtrios aut Venetos. Id colligi poſſe puto ex Pelagio, qui narratis Eufraſii ſceleribus: *Auferte*, inquit, *tales ab iſta Provincia*. Ut eos coerceat, ac opprimat, tota contentione animi urget Narſetem. *Quod tunc*, inquit, *plenius fieri poterit, ſi auctores ſcelerum ad clementiſſimum Principem dirigantur, & maxime Eccleſiæ Aquilejenſis invaſor*. Condigna eorum punitio pendebat ex punitione Metropolitæ maxime Aquilejenſis: unde Paulini ſuffraganei videntur fuiſſe Maximilianus, ac Thracius ſeu Eufraſius. Hunc primum numerat inter Epiſcopos Parentinos in Iſtria Ughellius: quo ſane jure, non conſtat; nec alium Eufraſium Parentii Epiſcopum norunt Viri docti, ab eo diverſum, qui ſeculo octavo cadente vitam agebat. Nuſpiam eorumdem Epiſcoporum nomina apparent in Tabulis Eccleſiaſticis: neque ulla debet eſſe miratio, cum mutilæ ſint, neque omnes Eccleſiarum Epiſcopos exhibeant; ac dirutis quoque urbibus Epiſcopalibus, earum Antiſtitum fere omnium memoria exciderit.

C A-

CAPUT VI.

Elias Aquilejenſis Paulino poſt Probinum ſuccedit. Tres ad ipſum, ejuſque collegas ſcribit epiſtolas Pelagius II. Schiſmaticorum protervia, & furor narratur. Datæ ſunt eædem epiſtolæ poſtremis Eliæ vitæ annis.

AD annum uſque DLX. regimen tenuit Eccleſiæ Romanæ Pelagius I. Succeſſit Joannes III. qui anno DLXXIII. mortem obiit: eique ſuffectus eſt Benedictus anno inſequente. Paulinum, Schiſmaticum Aquilejæ metropolitam, vita functum eſſe anno DLXIX. adnotavimus capite 2. Hunc Probinus excepit, cui *unum* regiminis *annum* tribuit Diaconus Lib. 3. cap. 4. Addit Dandulus in Chron. Lib. 5. cap. 12. *menſes octo*: adeoque ipſum ex hac vita migraſſe anno circiter DLXXI. dicendum eſt. Succedit Elias eodem anno. *Quindecim* numerat Sedis ejus annos Diaconus Lib. cit. Cap. 26. at *quatuordecim* tantum, ac *menſes decem & dies unum ſupra viginti* Dandulus. Unde ſedem Elias Aquilejenſem tenuit uſque ad annum DLXXXVI. moderante Romanam Eccleſiam Pelagio II. Benedicti Succeſſore.

De Eliæ electione hæc habet Dandulus Lib. 6. cap. 1. *Cum Provinciales Epiſcopi a ſedibus ſuis pulſi, pro novi Præſulis electione convenire non poſſent; qui remanſerant in Grado*, (quo Langobardorum furorem metuentes confugerant) *una cum Clero, & populo hujus Eccleſiæ, hunc natione græcum, Pontificem elegerunt.*

runt. Anno DLXX. objerat Honoratus Mediolanenſis Genuæ, quam in urbem, Langobardorum fugiens irruptionem in Liguriam, ſeceſſerat. Sanctiſſimi Viri abſentis locum invaſit Frontonius, ſeu Frontus, qui *ſedem qualitercumque occupatam ſolus tenere non potuit* (ut ait Papebrochius) *niſi annos tres vel quatuor*, uſque ad annum DLXXIII. aut inſequentem, quo Mediolani Metropolitam ordinatum fuiſſe Laurentium, cum adhuc *urbanam praturam gereret* Magnus Gregorius, indicavimus capite 1. Eliæ Aquilejenſi Frontum juxta morem antiquum manus impoſuiſſe, vetant ut credamus Langobardorum tumultus, reſque Italiæ afflictiſſimæ. Hinc mos ille vetus in deſuetudinem abire cœpit. Electioni ſane Conſtantii, qui Laurentio ſucceſſit, præfuit Joannes Diaconus, Eccleſiæ Romanæ miles: cum id muneris antea fuerit vel Epiſcopi Aquilejenſis Mediolanenſem, vel Mediolanenſis Aquilejenſem ordinaturi.

Tres habentur ad Eliam ſcriptæ epiſtolæ a Pelagio II. qui Romanam Eccleſiam poſt Benedictum regendam ſuſcepit anno DLXXVIII. Eas a Nicolao Fabro, Pariſino Viro doctiſſimo, acceptas recitat Baronius ad Annum DLXXXVI. ac inde Collectores Conciliorum ediderunt. Inſcriptæ leguntur: Prima, *Dilectiſſimis Fratribus Eliæ, aliiſque Epiſcopis univerſis Filiis, in Eccleſiæ Iſtriæ partibus conſtitutis*: Altera, *Dilectiſſimis Fratribus Eliæ, vel aliis Epiſcopis Iſtriæ*: Tertia, *Dilectiſſimis Fratribus Eliæ, vel univerſis Epiſcopis in Iſtriæ partibus conſtitutis*. Fratres & Filios vocat ſchiſmaticos, ut mites illis animos eximiæ caritatis ſignis inſpiret. Dignum quoque animadverſione eſt; Eliæ collegas & ſchiſmatis compli-

ces, Venetcs etiam alioſque, & non ſolum Iſtriæ regionis incolas, appellari omnes *Iſtrios*: univerſamque Provinciam aut diœceſim dici *Eccleſiam Iſtriam*. Hæc infra uſui nobis erunt.

Schiſmaticorum proterviam, ac furorem prædictæ produnt epiſtolæ: unde perſtringere earum argumenta operæ pretium eſt. In prima præfatur Sanctiſſimus Pontifex: *De viſcerum ſuorum diviſione*, nimirum de ſchiſmate Eccleſiam lacerante, ſe *cum gravi fletu, & gemitu doluiſſe*. Ad pacem diſſidentes cum lacrymis adhortatur: vacillantibus in fide indeficientem Petri fidem opponit; ac titubantibus firmitatem Sedis Apoſtolicæ demonſtrat, contra quam portæ inferi prævalere non poſſint. De fidei ſuæ ſinceritate, *quatenus nulla poſſit in eorum cordibus remanere ſuſpicio*, ut certiores eos faciat, profitetur amplecti ſe quæ ab Apoſtolis eorumque ſucceſſoribus tradita ſunt, (& in quatuor Oecumenicis conciliis explanata & confirmata, maximeque in Synodo Calchedonenſi, cujus auctoritatem trium damnatione capitulorum labefactari, immerito querebantur. Rogat eos, *ſi quid forte cauſa eſt, unde eorum ſcandalizentur animi*, ut manentes in caritate unitatis, eligant tranſmittantque aliquos e fratribus ad proponendas, & componendas cum pace Chriſti quæſtiones omnes. *Et parati ſumus* (ait piiſſimus Paſtor) *ſecundum præceptionem Apoſtolicam, & cum caritate eos ſuſcipere, & cum humilitate ad placita ſatisfactionis reddere rationem; & ſine aliquo impedimento cum omni dilectione, quando reverti voluerint, voluntate ſinceriſſima relegare*.

Paternis nihil permoti adhortationibus perditiſſimi homines, *neque his*, quæ ad illos ſcripſit Pelagius,

ref-

reſponderunt; *neque ut fraternam decuerat caritatem* (verbis utor Pontificis in Epiſt. 2.) *ejus fidei ſatisfa-ctione ſuſcepta, ad unitatem Eccleſiæ revertendi obedien-tiam commodarunt*; neque Legatis, quos ipſi Romam direxere, permiſerunt, ut *apertiſſimam lucidiſſimamque ſatisfactionem paterentur accipere*. Imo *pravorum ho-minum perſuaſione decepti, ſcripta diverſis infecta con-tagiis direxerunt*. Patrum teſtimonia incongrua, & ad cauſam non pertinentia, ordine ita turbato, libellis inſeruerant, *ut quod ſcriptum nomine alterius, alte-rius nominis titulo promeretur*. Hinc ut veris ac ge-nuinis documentis falſa deſtrueret, & ſuppoſititia, voluit Pelagius, Legatis Eliæ *ex codicibus, & ex an-tiquis Polyptycis ſcrinii ſanctæ Sedis Apoſtolicæ* ſincera ſynodorum acta traderentur. Eos iterum vehementiſ-ſime ad caritatem cohortatur & unitatem, cum ſciſ-ſionis aut diſcordiæ *inexpiabilis & gravis culpa nec paſſione purgetur*. Invitat eoſdem ad collationem Ro-mæ per legatos habendam: aut ſi locorum obſtent intervalla, rogat ut apud Ravennatem urbem con-veniant, quo ſe legatos miſſurum pollicetur, qui vi-ce ſui Synodo interſint.

Hæc etiam irrita fuit vigilantiſſimi ſollicitudo pa-ſtoris. Pro defenſione capitulorum apologiam edidere ſchiſmatici, eamque Romano Pontifici tranſmiſerunt. Ad hanc refellendam, tertiam graviorem prolixiorem-que dedit Pelagius epiſtolam. Ex ea intelligimus, eo provectos illos eſſe inſaniæ, ut ſupremo totius Eccle-ſiæ Hierarchæ, tam præclara humilitatis & caritatis exempla præbenti, *deliberata judicii ſententia*, a trium capitulorum damnatione reſilire, *imperarent*. De tan-ta perduellione gemit Sanctiſſimus Pater: doletque,

D 2 *ſta-*

ſtare oves extra caulas, palmites abſciſſos a radice vitis eſſe, ſudantes operarios laborare extra vineam, ac novo diluvio obruente veſanos homines arcam fugere. Singula expendit, quibus abutebantur, S. Leonis Papæ teſtimonia: nodum ſolvit, quem ex Vigilii deceſſoris, aliorumque Occidentis Epiſcoporum reluctantia primitus facta adſtringebant: latinos oſtendit, linguæ græcæ minus peritos, errores in Theodori, Theodoreti, & Ibæ ſcriptis non potuiſſe ſtatim detegere; quibus tandem cognitis, eorum damnationi ultro ſubſcripſerant, prius acta revocantes: ac perperam denique demonſtrat, Vigilii inconſtantiam opponi.

Patet ſollicitudo Pelagii, ut oves extra Eccleſiæ ſepta, & paſcua vagantes ad ovile reduceret. Patent etiam Eliæ Aquilejenſis, & collegarum Epiſcoporum pervicacia, furor, obfirmatuſque in ſchiſmate animus. Quo prædictæ datæ fuerint anno epiſtolæ, diſcutiendum eſt: notis enim temporariis carent. Conſtat primo, epiſtolas illas modico inter ſingulas temporis intervallo decurrente ſcriptas eſſe, eaſdemque invicem colligatas. Prima *directa* dicitur *per Redemptum Epiſcopum* (Ferentinum, ut colligitur ex Gregorio Magno Lib. 3. Dialogor. cap. 38.) *& Quod vultdeum, Abbatem Monaſterii majoris Baſilicæ Beati Petri Apoſtoli*: quos *ut complacita Deo caritate ſuſcipiat* Elias, exorat Pontifex: & *cum unitatis* inſtauratæ *gaudio ſine mora reverti dimittat*. In ſecunda Pelagius ad ea reſpondet, quæ ſchiſmatici poſt priorem acceptam Pontifici reſcripſerunt. Unde ſic eam orditur: *Dilectionis veſtræ per eos, quos direxiſtis, ſcripta ſuſcepimus: relectiſque his, gravi ſumus mœrore, & dolore perculſi, cum neque his quæ vobis ſcripſimus, reſpondiſtis;*

ſtis ; *neque ut fraternam decuerat caritatem* ; *fidei noſtræ ſatisfactione ſuſcepta*, *ad unitatem Eccleſiæ revertendi obedientiam commodaſtis* ; ac demum *ſcripta nobis diverſis infecta contagiis direxiſtis*. Novis denique Eliæ & complicium *ſcriptis ſuſceptis* pro trium defenſione capitulorum, tertia prolixior a Pelagio epiſtola data eſt. Hinc tres iſtas Pelagii ad Eliam, & ſchiſmaticos epiſtolas paucos intra menſes ſucceſſive datas eſſe, nullus dubito.

Notum quoque eſt, compertumque, tertiam epiſtolam fœtum eſſe Gregorii Magni, qui poſt reditum Conſtantinopoli Romam, Pelagio II. fuit ab epiſtolis. Eam ipſi tribuit Paulus Diaconus Lib. 3. Cap. 20. *Hic Pelagius*, inquiens, *Heliæ Aquilejenſi Epiſcopo .... epiſtolam ſatis utilem miſit*, *quam Beatus Gregorius*, *cum eſſet adhuc Diaconus*, *conſcripſit*. Nemo quidem eam legens, niſi in Sancti Gregorii ſcriptis peregrinus (judicium eſt Monachorum S. Mauri in ejus Vita Lib. 1, Cap. 6. num. 5.) dubitare poterit, an ſit ipſius fœtus : quippe ſapit Gregorianam phraſim, & explicandæ ſacræ ſcripturæ methodum. Addunt ibidem ; *Idem ſit de duabus aliis criterium*. Dixerant verò num. 2. *Unum eſt trium illarum epiſtolarum argumentum*, *unus Scopus*, *ſtylus plane non abſimilis* ; *proindeque idem omnium ſcriptor Gregorius*, *a quo unam ſaltem ſcriptam eſſe*, *Pauli conſtat teſtimonio*. Conſentiunt quique Viri docti.

Itaque datæ tres illæ epiſtolæ ſunt, poſtquam Apocriſiarii munere Conſtantinopoli functus, Romam rediit Gregorius. Legatum Regiam in Urbem miſerat ipſum jam Diaconum ordinatum, Pelagius anno circiter DLXXVIII. nec einm licet pro temporum obſcu-

ſcuritate certum annum decernere , (admonentibus Monachis Benedictinis , Vitæ ejus ſcriptoribus Lib. 1. cap. 5.) quo hæc illi Provincia demandata fuerit . De anno , quo Romam reverſus eſt , cognoſcendo ſic diſſero. Epiſtolam recitat Joannes Diaconus in Vita Gregorii Lib. 1. num. 32. a Pelagio ad ipſum Conſtantinopoli morantem ſcriptam , datamque *quarto nonarum Octobrium indictione tertia*. Data igitur eſt anno DLXXXIV. a cujus Septembri menſe *tertia* cœpit *indictio* . Cujuſdam *Presbyteri* in ea mentionem facit , quem ad ſe *tranſmittere feſtinet* , Gregorium poſtulat Pelagius . Hunc eſſe *Maximianum Siculum* , *qui poſtea Siracuſanus Epiſcopus extitit* , atque tum Monaſterio a Gregorio Romæ extructo præerat , narrat ibidem Joannes. Unde anno eodem cadente DLXXXIV. aut inſequentis initio, Maximianum rediſſe Romam , quem pro mandatis Pelagii , ſine mora tranſmittere debuit Gregorius , dicendum eſt . Cum eo iter quoque aggreſſum eſſe Gregorium , ſcribit Antonius Pagius ad annum DLXXXIV. nu. 13. & DLXXXVI. nu. 3. Fallitur vero . Maximiani reditum deſcribere pergit Joannes Diaconus , tempeſtatis in Adriatico mari pericula , ac ejus ſociorumque mirandam liberationem : nullamque de Gregorio comite mentionem facit. Imo cum ſcribat , eos de maris procella liberatos *per meritum Gregorii* , *quem Fratres viſitaverunt* ; ſatis aperte indicat , ipſum Conſtantinopoli Apocriſiarium remanſiſſe. Eadem ſcribit Gregorius ipſe Lib. 3. Dialogor. cap. 36. Verum paulo poſt Romam & ipſum rediſſe , certum eſt : unde conficitur , ſcriptas ab eo Pelagii nomine ad Eliam , & ſchiſmaticos epiſtolas anno DLXXXV. addulto, aut cadente .

In

In eadem Pelagii ad Gregorium epiſtola anno DLXXXIV. cadente data, quam recitat Joannes Diaconus, commiſſum eidem legimus mandatumque, ut cum Imperatore *tractaret* de ſubſidiis contra Langobardos Italiam vaſtantes tranſmittendis: *Quia ita coangustata eſt Reſpublica, ut niſi Deus piiſſimi in corde Principis inſpiraverit, ut inſitam ſibi miſericordiam ſuis famulis largiatur.... in omni ſimus anguſtia deſtituti: quia maxime partes Romanæ omni præſidio vacuatæ videntur; & Exarchus nullum nobis poſſe remedium facere ſcribit*. Anni DLXXXIV. & ſuperiorum tumultus habes. Ait vero Pelagius idem in Epiſtola 1. ad Eliam: *Quod.... noſtra tardius ſcripta dirigimus.... temporalis qualitas, & hoſtilis neceſſitas hactenus impedivit*. Ait rurſus: *Poſtea ergo.... per labores atque ſollicitudinem... Smaragdi Exarchi.... pace interim vel quiete donata, ſe cum omni ſollicitudine feſtinare preſentia* ad ipſum ejuſque collegas *ſcripta dirigere*. Hæc orta quies erat ex induciis, quas cum Smaragdo fecere Langobardi, Francorum expeditionem in Italiam timentes. Pax etiam cum Francis ab illis conſtituta fuit, quam juxta calculos Gregorii Turonenſis illigat Pagius anno DLXXXIV. & juxta Paulum Diaconum anno DLXXXVI. Interim colligitur, jam anno antecedente DLXXXV. quieviſſe Italiam, parteſque Romanas Langobardorum armis non vexatas: adeoque eodem anno Pelagium ſchiſmaticis ad unitatem Eccleſiæ reducendis animum applicuiſſe, tribus prædictis epiſtolis, *pace vel quiete donata*, ad Eliam *cum omni ſollicitudine* ſcriptis.

CAPUT VII.

In Eliam alioſque Epiſcopos movet Pelagius Smaragdum Exarchum. Is ad unitatem Eccleſiæ redire potiſſimum Iſtrios compellit. Libellos Mauricio ſupplices mittunt ſchiſmatici. Favet Imperator. Epiſtolarum Pelagii epocha confirmatur.

TAm gravibus, tam eruditis, ac piis Pelagii Romani Pontificis epiſtolis fracta non eſt Eliæ Aquilejenſis, aliorumque ſchiſmaticorum pervicacia. Secularium poteſtatum uti debere validiori brachio, cenſuit Sanctiſſimus Pater. In eos ergo Smaragdum impulit, ut perduelles poteſtate coerceret, & ad parendum cogeret Catholicæ Eccleſiæ. Is erat Vir Patricius, Longini ſucceſſor, ſecundus in Italia pro Græco Imperatore Exarchus, Apoſtolicæ Sedi addictiſſimus.

Schiſmatici Epiſcopi alii erant in ditione Langobardorum, Veneti, aliique ſub Græci Imperatoris poteſtate alii, nempe Elias Metropolita, qui Gradum inſulam incolebat, & Iſtrii; nec enim Iſtria ceſſit unquam Langobardis. Anno quidem circiter DLXXXVII. *ad Iſtriam Rex Autharis exercitum miſit*, (verba ſunt Diaconi Lib. 3. cap. 25.) *cui exercitui Evin Dux Tridentinus præfuit: qui poſt prædas, & incendia, facta pace in annum unum, magnam pecuniam Regi detulerunt*. Hæc irruptionem Langobar-

bardorum in Iſtriam ; non eam ab illis captam ſubjugatamque Provinciam ſignificant. Ex hac vita migravit Autharis anno DXC. *menſe Novembri* : & anno inſequente *menſe Majo* Agilulfus in Regem electus eſt, ut colligitur ex eodem Diacono Lib. 3. cap. 34. & Gregorio Magno Lib. 1. Epiſt. 17. *ad univerſos Epiſcopos Italiæ* data. Obiit Agilulfus anno DCXVI. ut probat Pagius ibidem. Eo regnante, *pax perpetua facta eſt cum Avaribus : & inter hæc* (verbis utor Diaconi Lib. 4. cap. 25.) *Langobardi cum Avaribus, & Sclavis Hiſtriorum fines ingreſſi, univerſa ignibus, & rapinis vaſtaverunt*. Pergit Hiſtoricus Capite ſeq. 26. *Agilulfo quoque Regi tunc naſcitur filius de Theudelinda Regina .... Adaloaldus*. Gregorius Lib. 14. *Indictione ſeptima*, ideſt anno cadente DCIII. epiſt. 12. alias 7. gratulatur Theodelindæ, prius Autharis, deinde Agilulfi uxori, *de filia, omnipotentis Dei gratia, donato*. Hinc ad initium ſæculi ſeptimi pertinere conjicio prædictam Langobardorum cum Avaribus, & Sclavis in Iſtriam irruptionem. Sub eorum poteſtate Provinciam manſiſſe, nemo colligat. Idem Hiſtoricus Agilulfi mortem antequam Lib. 4. cap. 43. litteris conſignet, narrat capite præcedente 42. *Regem Agilulfum pacem cum Imperatore in annum unum, itemque in alterum feciſſe : cum Francis quoque iterato pacem renovaſſe : hoc nihilominus anno Sclavos Hiſtriam, interfectis militibus, lacrymabiliter deprædatos eſſe*. Ubi Sclavorum legis incurſiones in Iſtriam, cædes, & rapinas : eam ſub ditione Langobardorum poſitam non habes. Luitprandi, qui anno DCCXII. gentis illius Rex acclamatus fuit, lex afferri ſolet de Debitore, & Fidejuſ-

juſſore, *ſi in Auſtria, aut in Hiſtria fuerit*, ut legitur in editione Lindenbrogii. Hinc plerique putant, Iſtriam hac ætate juris fuiſſe Langobardorum. At non *Iſtriam* legimus, ſed *Neuſtriam* in editione Mediolanenſi Tom. 1. Par. 2. ſcript. Ital. quæ lectio omnino retinenda videtur. Legis verba ſunt Lib. 6. Leg. Luitprandi num. 55. *Si per xxx. dies pignora ipſa aut debitor; aut fidejuſſor recolligere neglexerit, ſi in Neuſtria, & Auſtria fuerit, amittat ipſa pignora.* Utramque partem regni ſui in Italia indicat Luitprandus; *Neuſtriam*, ideſt partem Occidentalem; & *Auſtriam*, ideſt partem Orientalem: ac utrique communem fert legem. Vexatam quoque ab Aiſtulfo, & Deſiderio poſtremo Langobardorum Rege Iſtriam, infra narrabimus: quæ demum a Græcis ad Francos tranſiit anno circiter DCCLXXXIX.

Itaque Pelagii mandatis obſequens Smaragdus Exarchus, minas intulit graviſſimas Eliæ Metropolitæ, aliiſque Epiſcopis Iſtriæ, qui ſub Imperatoris poteſtate erant: eiſque obedientiam erga Sedem Apoſtolicam imperavit. Id ex libello diſcimus, quem ad Mauricium Imperatorem ſub Gregorio Magno tranſmiſerunt ſchiſmatici, de quo nobis infra ſermo erit. Tradunt enim: *Smaragdum, glorioſum Chartularium, pro cauſa ipſa* (trium capitulorum) *pluribus vicibus Eliam Archiepiſcopum Aquilejenſis Eccleſiæ contriſtaviſſe.*

Contra minas Exarchi ſe validiori ſubſidio ſuoſque tueri debere, cenſuit Metropolita ſchiſmaticus. Coacta Synodo Epiſcoporum, qui in Inſula Grado moras trahebant, aliorumque conſilio per epiſtolas habito, decretum eſt, ut Oratores ad Imperatorem Con-

ſtan-

ſtantinopolim mittantur, qui profanum ejus tribunal poſtularent; idemque, ne quid moleſtiæ ipſis inferretur ob capitulorum cauſam ab Exarcho, imperaret. Hæc iidem ſchiſmatici narrant in prædicto libello: *Cum noſtrum omnium conſilio atque conſenſu direxit* (Elias) *ad pia veſtigia Principatus veſtri preces, ſupplicans ut expectata Dei miſericordia, revocatis omnibus conſacerdotibus Synodi noſtræ in poteſtatem Sanctæ Reipublicæ, ad veſtræ clementiæ præſentiam veniretur; & veſtrum in ipſa cauſa expectaretur judicium*. Favit Imperator, ut iidem teſtantur: *Quod pietas veſtra manſuetudinis*, inquientes, *ad mercedem, & laudem Imperii ſui, clementi dignatione ſuſcipiens, juſſionem ſuam dedit ad prædictum glorioſum Smaragdum, ut nullatenus quemque Sacerdotum pro cauſa communionis inquietare præſumeret*.

His narratis, obitus Eliæ refertur: *Deinde defunctus eſt memoratus Archiepiſcopus noſter Elias*. Annum ejus emortualem diximus DLXXXVI. Hinc vero confirmari poteſt jam conſtituta trium epiſtolarum Pelagii epocha. Anno eodem DLXXXVI. dari eas non potuiſſe, ea ratione confici poſſe videtur, quod intervalla temporis inter ſingulas epiſtolas decurrentia, Smaragdi contra Eliam alioſque ſchiſmaticos in obſequium Sedis Apoſtolicæ conatus, Oratorum legationem Conſtantinopolim ad Mauricium Imperatorem, hujus reſponſa ad Exarchum delata, obitum denique Eliæ, ac Severi ſucceſſoris electionem; hæc, inquam, omnia uno anni ambitu comprehendi potuiſſe, nemo cogitaverit.

Rem ita ſe habuiſſe puto. Scripſerat Pelagius ad Gregorium Conſtantinopoli Apocriſiarium anno DL-

DLXXXIV. Octobris initio epiſtolas, quas Joannes Diaconus recitat, ut ab Imperatore contra Langobardos pecuniæ, & copiarum auxilia impetraret. Hi eodem anno cadente, vel cœpto inſequente, Francorum timentes expeditionem, inducias cum Smaragdo pacti ſunt, pacemque cum francis inierunt. Eodem quoque anno DLXXXV. pace reddita Italiæ, Romam rediit Gregorius: eoque ad finem vergente tres Pelagii nomine ſcripſit ad Eliam, & ſchiſmaticos epiſtolas. Reliqua anno ſequente DLXXXVI. peracta ſunt.

CAPUT VIII.

Communionem cum Romana Sede habuit nunquam Elias. Argumentum ſolvitur, quod ſumitur ex epiſtola Pelagii II. ad eumdem Eliam inter acta Synodi Gradenſis.

OPus erat, epiſtolarum Pelagii II. epocham præmittere, ex eiſque miſerum Eliæ ſchiſmatici finem ante agnoſcere, quam in præcedentis vitæ, ac Sedis ejus annos inquirere, num a ſchiſmate alienus cum Romano Pontifice aliquando communicaverit? Rebellem primo Metropolitam Aquilejenſem, deinde reſipuiſſe a Pelagio correptum, legimus in catalogo Patriarcharum a Cl. Muratorio edito, cui ſimilem emendatioremque Mſ. penes me habeo. Verba ſunt: *Hic* (Elias) *quia tria capitula Chalcedonenſis Concilii* (eorum ſcilicet damnationem in Synodo quinta firmatam) *ſuſcipere noluit, tanquam hæreticus reproba-*

batus eſt. Sed Pelagius Papa II. eidem miſit epiſtolam ſatis utilem, quam Beatus Gregorius dum adhuc eſſet Cardinalis (Diaconus) *ſcripſit. Tunc Helias ab errore revocatus eſt.* At Eliam ad meliorem mentem non rediiſſe, probat epocha epiſtolarum Pelagii, quę produnt ipſum extremis vitę, & Sedis ejus annis in ſchiſmate jacentem; ac etiam fatentur ipſius collegę in libello ad Mauricium, poſtrema vitæ ejuſdem ſchiſmatica facinora narrantes.

Contra ſentit Baronius, qui Metropolitam eumdem Romanæ Eccleſiæ primo communicantem facit, poſtea rebellem. Agit ille ad Annum DCII. num. 3. de translatione Sedis Aquilejenſis ad Inſulam Gradum, quo primus migravit Langobardorum furorem timens Paulinus, & ait: *Id Pelagium Papam* (II.) *conceſſiſſe Eliæ Epiſcopo Aquilejenſi, cum adhuc cum Romana Eccleſia communicaret, tempore Tiberii Imperatoris.* Ait etiam ad Annum DCV. num. 7. *Extant acta Synodalia ſub Elia Aquilejenſi Epiſcopo, tunc catholico, & Romanę Eccleſię communicante, in quibus.... recitatur epiſtola Pelagii Papę ad Eliam, qua conceditur, ut Gradum loco Aquileja teneat, ſitque eadem Metropolis, quę & nova Aquileja ab ipſo eſt nuncupata.* Synodi Gradenſis acta, quæ circumferuntur, capite ſequente dabimus, ac inter illa Pelagii epiſtolam, qua votis Eliæ annuit Pontifex. Hanc vero dari potuiſſe homini ſchiſmatico, non putat Baronius: adeoque Eliam eo tempore catholicum facit, & Romanę Sedi Apoſtolicę obſequentem.

Plura occurrunt, quæ catholicam Eliæ cum Romano Pontifice communionem aſſertam convellunt. Ejus mentio nulla, veſtigium nullum eſt tribus in epi-

epiſtolis a Pelagio ad ipſum ſcriptis. Nihil in eis prætermittit Paſtor vigilantiſſimus, ut Metropolitæ pervicaciam emolliat. De ejus gemit diviſione, ſuſpicionem de fidei ſuæ integritate amolitur omnem, propoſitas explanat difficultates, deceptionis cauſas aperit, Synodi locum, ubi quæſtio ventiletur, pro placito eligendum finit. Nihil erat quoque argumento magis accommodatum, quam veritatem antea cognitam ipſi opponere, eique revocare in memoriam communionem cum Romano Pontifice paucos ante annos habitam. Id præſtitit Gregorius Magnus in epiſtola, quam Pontifex creatus dedit ad Severum Eliæ ſucceſſorem, ut infra videbimus. Cur id tam alto ſilentio prætererit Pelagius? Siluit nempe, quod ſcribere non poterat, nec unquam fuit.

Octo circiter Pontificatus anni fluxerant, cum Pelagius Eliæ, & collegis ad unitatem reducendis applicuit animum: Pontifex enim creatus eſt anno DLXXVIII. & anno DLXXXV. tres illis dedit epiſtolas. Atqui ea Pontifex prima in epiſtola ſcribit, quæ ſatis indicant, hactenus laboraſſe ſchiſmatis morbo Eliam. Ait ille: *Quod ad dilectionem veſtram, Fratres Filiique cariſſimi, noſtra tardius ſcripta dirigimus, non malevolæ voluntatis, aut diſſimulationis, vel negligentiæ fuiſſe credatur: ſed, ſicut noſtis, temporalis qualitas, & hoſtilis neceſſitas hactenus impedivit*. Cum dicit, *tardius ſcripta* ad eos *dirigere*, nihil ad eoſdem ſcripſiſſe præcedentibus Pontificatus annis, aperte ſignificat. Cum certiores illos facit, id *ex malevola voluntate* profectum non eſſe, indicio eſt, nullam eos cum ipſo communionem habuiſſe, atque ſchiſmati ſemper addictos fuiſſe, propter quod

ma-

malevolæ in eos *voluntatis* videri poſſet. Cum neque demum id ſibi vertendum eſſe vitio *diſſimulationis* ait, clare docet, eorum ſibi perſpectam fuiſſe rebellionem. *Non ergo credatur*, (alia ſunt epiſtolæ verba) *nos viſcerum noſtrorum diviſionem non cum gravi fletu, & gemitu doluiſſe: ſed utinam, cariſſimi, illuminet Dominus oculos cordis veſtri, ut noſtri cordis gemitus pro vobis videre poſſitis*. Nuper ſciſſuram factam non dicit, neque recentem viſcerum ſuorum diviſionem dolet: jam plurium annorum ſpatio continuatam, neque unquam refectam, intelligendam relinquit.

Synodus Gradenſis, quæ circumfertur, coacta dicitur anno DLXXIX. Baronio ſi credimus, Elias tunc Romanæ Eccleſiæ communicabat. Tunc etiam beneficia, a Pelagio votis ejus annuente accepta, magis magiſque reddere ipſum Sedi Apoſtolicæ addictum debuerant: ut ſciſſam non niſi multo poſt tempore ab ipſo unitatem, dicendum foret. Verba tamen pugnant Pelagii in epiſtola ſecunda, ubi diuturnæ ſcandalum diviſionis toto cordis dolore deplorat. Ait enim: *Renovatus eſt* (dato ab Elia ad priorem epiſtolam contumaci reſponſo) *dolor cordis noſtri, quando diuturnæ diviſionis ſcandalum minime tanto fidei fulgore ſuperatur*. Communionis Eliæ cum Romano Pontifice veſtigium nuſpiam apparet: *diuturnum*, ac perpetuum ejus ſchiſma indicant omnia.

Ad hæc, Paulinum ſchiſmatis incentorem pervicaciſſimum vidimus. Schiſmatis furore abrepti comprovinciales Epiſcopi, coacta Synodo, privata auctoritate, generalem dijudicare Synodum auſi ſunt. An veriſimile fuerit, ſchiſmaticos eoſdem, quotquot ele-

ctio-

ctioni Eliæ adfuerunt, ſibi Metropolitam præficere voluiſſe, quintæ Synodi veneratorem?

Quænam deinde cauſa fuerit, quæ Eliam, ſi Romano Pontifici communicabat, unitate diſciſſa, ſchiſmaticum fecerit? Inquies, malis artibus pravorum hominum deceptum, a priori ſententia diſceſſiſſe. Ait quidem Pelagius in epiſt. 2. eos, ad quos litteras dederat, Eliam, & Iſtrios Epiſcopos, *pravorum hominum perſuaſione deceptos*, *ſcripta diverſis infecta contagiis direxiſſe*. Verum non unum ſcribit Eliam deceptum, ſed ipſum ejuſque collegas Epiſcopos. An dicendum fuerit, non Eliam duntaxat, ſed alios quoque ſuffraganeos, Venetos, & Iſtrios, cum Romano primum communicantes Pontifice, ſchiſma prius ejuratum inſtauraviſſe? At illos deceptos ait, quod *ſcripta diverſis infecta contagiis direxerint*; quod *in epiſtolis Patrum quadam teſtimonia non incongrua ſolum, ſed nec ad cauſam pertinentia tentaverint inſerere*. Decepti ergo ſchiſma fovebant, non ante ejuratum inſtauraverunt.

Pelagii epiſtola opponitur, qua Eliæ poſtulatis annuens concedit, *ut Gradum loco Aquilejæ teneat*, *ſitque eadem Metropolis*. Quomodo ſchiſmaticus tunc ille fuerit, quem Pontifex tam præclaro exornat privilegio? Preſto eſt Eminentiſs. Noriſii reſponſio in Diſſert. cit. cap. 9. §. 4. Scilicet, Pelagius, tum ut initio Pontificatus Principem ſchiſmaticorum collatis beneficiis erga Sedem Apoſtolicam reverentiorem faceret, tum quod ſub Romano Imperio viventem facilius ad obedientiam revocari poſſe intelligebat, Eliç precibus annuit. Hçc illis repono, qui germanam credunt Pelagii epiſtolam, ac legitima Synodi Gradenſis acta.

CA-

CAPUT IX.

Exhibentur Synodi Eliæ acta ex Chronicis Danduli, & Gradenſi. Utriuſque Chronici, aliorumque codicum diſcrepantiæ notantur.

CONfictam dixerim ego Pelagii II. epiſtolam, qua ſedis Aquilejenſis translatio confirmata dicitur, ac certe ſuppoſititia Synodi Gradenſis acta. Ne alibi quærantur, eadem hoc loco deſcribere, operæ pretium eſt; variaſque diverſorum codicum diſcrepantias adnotare. Dandulus in Chronico Lib. 6. cap. 1. Par. 10. hæc habet: *Helias Venerabilis Epiſcopus.... conſultu & decreto Pelagii Papæ II. Epiſcoporum concilium celebravit in ipſa Eccleſia S. Euphemia* (in Grado) *quam translata ſede, totius Venetiæ & Iſtriæ Metropolim auctoritate Papali de voluntate Synodi inſtituendam propoſuit, prout ex infraſcriptæ Conſtitutionis tenore, quam ut naſcentis Eccleſiæ dignitas apud poſteros memorabilis habeatur, ſicut in authenticis & vetuſtiſſimis codicibus reperimus, ſingulariter deſcribemus:* Acta Synodi, & epiſtolam Pelagii deſcribit Par. 11. 12. 13. quæ hujuſmodi ſunt in editione Mediolanenſi.

„ In nomine Domini noſtri Jeſu Chriſti ſummi æ„ terni Dei noſtri. Imperante Domino noſtro Sere„ niſſimo Tiberio Conſtantino Auguſto, Anno impe„ rii ejus V. eodem Conſule, ſub die III. Nonarum „ Novembrium, indictione tertia decima. Cum in „ Civitate Gradenſi Helias Epiſcopus ſanctæ ejuſdem „ novæ Aquilegienſis Eccleſiæ, una cum Marciano,

E „ Leo-

„ Leoniano, Petro, Vindemio, Virgilio, Joanne,
„ Clariſſimo, Patricio, & reliquis Epiſcopis, & Sa-
„ cerdotibus, quorum nomina ſubſcriptiones propriæ
„ manifeſtant, in Concilium conveniſſent, & in no-
„ va Baſilica Sanctæ Venerabilis martyris Euphe-
„ miæ conſediſſent, ſedentibus quoque Presbyteris
„ plurimis, aſtantibus Diaconibus, propoſitis in me-
„ dio ſacroſanctis Eccleſiæ Evangeliis, Helias pri-
„ mæ ſedis Epiſcopus dixit. Ineffabilia ſunt opera
„ Domini noſtri Jeſu Chriſti, quibus miſericordia &
„ benignitate fragilitatem noſtram ſuſtentare digna-
„ tur, ſanctiſſimi Fratres. Nam inter angores, qui-
„ bus Eccleſia Domini circumquaque depreſſa ſuſpi-
„ rat, & gentium ferociſſimas clades, quæ miſeræ
„ noſtræ Provinciæ reliquias quatere, ac devaſtare
„ non ceſſant, fateor, me non pręter ſpem, ſed vel
„ ut verius dixerim, ſupra ſpem meam ad hanc ve-
„ nerabilem cœtum veſtram invitaſſe ſanctiſſimam
„ caritatem. Angebar enim, ne quid undecumque
„ votis communibus obſtitiſſet, verum quia, ut prę-
„ fatus ſum, Jeſus Chriſtus verus Deus, & Domi-
„ nus noſter, ſupra quam credimus, & ſperavimus,
„ pręſtitit ut veſtra nunc in illo pręſentia perfrua-
„ mur, dignum duxi, Cariſſimi Fratres, manſuetu-
„ dini veſtrę commemorare, quod ut pręlibavimus,
„ intervenientibus malis noſtris, quotidie hoſtile per-
„ patimur flagellum. Jampridem ab Attila Hunno-
„ rum Rege Aquileja Civitas noſtra funditus eſt de-
„ ſtructa: & poſtea Gothorum incurſu, & cętero-
„ rum Barbarorum quaſſata, vix reſpirat; etiam nunc
„ Longobardorum nefandę gentis flagella ſuſtinere
„ non valens. Si ergo conſenſu Beatiſſimi Apoſtolicę
„ ſe-

„ ſedis Papę Pelagii, cui jam ante communem noſtram
„ deſcripſimus neceſſitatem, veſtræ ſanctitati placeat
„ hanc Civitatem Gradenſem noſtram confirmare per-
„ petuo Metropolim, novamque eam appellare Aqui-
„ legiam?
„ Sancta Synodus dixit: Quę veſtra propoſuit Bea-
„ titudo, omnes pari confirmamus aſſenſu.
„ Si veſtrę ſanctitati placeat, Beatiſſimi Papę Pela-
„ gii privilegium pro hac ipſa intentione ab ipſo tranſ-
„ miſſum, in medio recitandum deferatur.
„ Laurentius Presbyter, Legatus Apoſtolicę Sedis,
„ repræſentavit privilegium: quod ſuſcipiens Epipha-
„ nius notarius, in medio ſtans, recitavit privilegium
„ Gradenſis Eccleſię.
„ Pelagius ſanctæ Eccleſiæ catholicæ urbis Romæ
„ Epiſcopus Helię Aquilegienſi Patriarchę &c. Con-
„ decuit Apoſtolica moderamina, pia religione peten-
„ tibus benevola compaſſione ſuccurrere, & poſcen-
„ tium animis congrua devotione impertiri aſſenſum.
„ Ex hoc enim lucri potiſſimum a Conditore omnium
„ procul dubio promerebimur, ſi venerabilia loca,
„ opportuno traſmutata tempore, noſtro fuerint ſtu-
„ dio ad meliorem ſine dubio ſtatum perducta. Igi-
„ tur quia petiſti a nobis per miſſa tuæ venerandæ
„ Fraternitatis brevia, conſentientibus in eis ſuffra-
„ ganeis tibi Epiſcopis, quatenus Gradenſe caſtrum
„ totius Venetiæ fieri, & Iſtriæ Metropolim, ad re-
„ gendam ſanctam Eccleſiam atque cum timore Dei
„ diſpenſandam, miſſa præceptione concedere debe-
„ remus. Quapropter veſtro compatientes mętori, ne-
„ ceſſitudinem imo etiam rabiem furentium perpen-

„ dentes Longobardorum, inclinati precibus veſtris,
„ per hujus præcepti ſeriem ſupraſcriptum caſtrum
„ Gradenſe totius Venetię fieri cum omnibs veſtrę Ec-
„ cleſię pertinentibus, etiam Iſtrię Metropolim, per-
„ petuo confirmamus. Statuentes ea propter Apoſto-
„ lica auctoritate, ſub interminatione futuri judicii,
„ nulli licere noſtrorum ſucceſſorum, vel alii cuilibet,
„ hęc quę a nobis decreta ſunt, in quoquam de-
„ ſtruere aut convellere: quę potius firma ſtabilita-
„ te inconvulſa manere definimus, atque ſub anathe-
„ matis vinculo perpetuis temporibus obſervanda.
„ Quamobrem hortor te ſemper relevare oppreſſos,
„ ſemper corripere inquietos, ut Zizania dominicam
„ non poſſint ſuffocare meſſem. Gratia Domini noſtri
„ Jeſu Chriſti, & omnis caritas Dei ſit ſemper vobiſcum.
„ Data XII. Kal. Maii, imperante Tiberio Conſtan-
„ tino Ceſare Auguſto.
„ Quo perlecto, univerſi Epiſcopi voce compari
„ clamarunt: Exaudi chriſte, Pelagio vitam: om-
„ nes uno conſenſu ſanctiſſimi Pelagii pręceptionem,
„ & veſtram ſequimur confirmantes ſententiam. Ob-
„ ſervandam enim Apoſtolicam auctoritatem decerni-
„ mus, hanc Gradenſem Civitatem veſtram Metropo-
„ lim perpetuis temporibus eſſe. Quicumquevero con-
„ firmationis hoc noſtrę violare decretum præſumſe-
„ rit, anathema. Santa Synodus ter affirmavit: fiat,
„ fiat, fiat.
„ Helias primę ſedis Epiſcopus dixit: ſi veſtræ
„ Beatitudini placet, recitentur etiam neceſſarię cauſę
„ ad Eccleſię ſtatum pertinentes, pro quibus veſtram
„ unanimem ſanctitatem ad nos uſque ſimiliter fatiga-

„ ri

„ ri rogitavimus. Sed ut magis diſpoſitionum noſtra-
„ rum, determinata jam ſedis hujus quęſtione, rite conſtet
„ ordiri primordia, recitetur, Deo gubernante, no-
„ bis primum fides ſanctorum Patrum, quæ cunctis
„ actionibus noſtris deinceps ſecuturis velut immobi-
„ le fundamentum exiſtat de fide catholica ſanctorum
„ Patrum.

„ Sancta Synodus reſpondit: juſtiſſimum eſt reci-
„ tari, quod utiliſſime provenit audiri. Epiphanius
„ notarius ex codice Synodali recitavit.

„ (*a*) Sancta, magna, & univerſalis Synodus, quæ ſe-
„ cundum Dei gratiam, & ſanctionem piiſſimorum,
„ chriſtianiſs. Imperatorum noſtrorum Valentiniani,
„ & Marciani congregata eſt apud Chalcedoniam,
„ Metropolim Bythiniæ Provinciæ, in (*b*) Atrio
„ ſanctæ & venerabilis Euphemiæ, definivit ſubter
„ annexa: Dominus noſter & Salvator Chriſtus ne-

 „ ti-

(*a*) Quatuor antiquas hujus definitionis Act. 5. Concilii Calchedonenſis latæ interptetationes dedit Petrus Crabbus, quas etiam Baluzius memorat in Nova collect. Concilor. pag. 1255. Prima eſt, quam legimus in editionibus Romana, & Labbeana. Extat altera in Collectione Iſidori, & in Appendice Concilii Calchedonenſis apud Baluzium pag. 1389. 1390. Tertia in Actione 6. ejuſdem Synodi apud laudatum Baluzium pag. 1267. (ubi per incuriam in noviſſima Veneta editione omiſſa eſt,) & in codice canonum Eccleſiæ Romanæ. Quarta demum in codice canonum, quem vulgavit Queſnellius, & apud Baluzium in Appendice. A prima, ſecunda, & quarta longe differt Aquilejenſium verſio Synodo Gradenſi adjecta: magis conſonat cum tertia, ſed etiam in plutibus differt, ut quinta dici poſſe antiqua definitionis Calchedonenſis latina interpretatio videatur.

(*b*) *Martyrio*.

„ titiam fidei confirmans, diſcipulis ſuis ait: *Pacem* „ *meam do vobis, pacem meam relinquo vobis*; ne „ ullus a proximo ſuo diſſonam doctrinam pietatis „ oſtendat. Quoniam vero non quieſcit nequiſſimus „ ſuam Zizaniam ſpargere, novi aliquid contra ve- „ ritatem ſemper inveniens, ob hoc conſuete Domi- „ nus noſter providens humano generi, piiſſimum & „ fideliſſimum Principem ad zelum fidei ſuſcitavit. „ Qui undique Sacerdotum principes ad ſe convoca- „ vit, qualiter gratia Domini feliciter impetrata, „ ab ovibus Chriſti dogma quidem mendacii ſubmo- „ veret, gemen autem pietatis & veritatis pingue „ efficeret. Quod quidem & fecimus communi de- „ creto, dogmatum fugantes errorem, integram ve- „ ro Patrum revocantes fidem, trecentorum decem „ & octo Patrum Symbolum prædicantes; & tan- „ quam domeſticos, (*a*) quod pietatis hujus compo- „ ſitionem receperunt, Patres aſcribentes, qui poſtea „ apud Conſtantinopolim convenerunt centum quin- „ quaginta, qui & ipſi eamdem fidem ſubſignave- „ runt. Definimus igitur, ordinem & omnem for- „ mam fidei (*b*) conſervamus nosquoque. (*c*) Apud „ Epheſum olim facta eſt ſancta Synodus, in cujus „ congregatione (*d*) Præſules fuerunt, ſanctæ me- „ moriæ Cęleſtinus Romanæ urbis Antiſtes, & Cy- „ rillus Alexandrinæ Eccleſię Præſul. (*e*) Egere qui- „ dem rectæ & immaculatæ fidei expoſitionem

„ CCC-

(*a*) *qui* (*b*) *conſervantes.*
(*c*) *nos quoque ejus, quæ apud Epheſum.*
(*d*) *Præſides.*
(*e*) *Præſul; præfulgere quidem.*

„ CCCXVIII. Patrum apud Nicæam ſimul cum piæ
„ recordationis Conſtantino Principe congregatorum ;
„ (a) obtinuere autem etiam CL. Sanctorum Patrum
„ apud Conſtantinopolim definitam ad interemtionem
„ tunc exortarum hæreſum confirmationem ejuſdem
„ catholicæ noſtræ fidei apud Niceam CCCXVIII.
„ Patrum.

„ Credimus in unum Deum Patrem omnipoten-
„ tem &c.

„ Helias ſanctæ Eccleſiæ Aquilegienſis Epiſcopus
„ his geſtis ſubſcripſi.

„ Laurentius Presbyter Apoſtolicæ ſedis legatus
„ his &c.

„ Marcianus Epiſcopus S. Eccleſiæ opiterginæ
„ his &c.

„ Leonianus Epiſcopus S. Eccleſiæ Tibornienſis
„ his &c.

„ Petrus Epiſcopus S. Eccleſiæ Altinatis his &c.

„ Vindemius Epiſcopus S. Eccleſiæ Cenetenſis his
„ &c.

„ Virgilius Epiſcopus S. Eccleſiæ Patavinæ his
„ &c.

„ Joannes Epiſcopus S. Eccleſiæ Celejanæ his
„ &c.

„ Clariſſimus Epiſcopus S. Eccleſiæ Concordien-
„ ſis his &c.

„ Patricius Epiſcopus S. Eccleſiæ Emonenſis his
„ &c.

„ Adrianus Epiſcopus S. Eccleſiæ Polenſis his &c.

„ Maxentius Epiſcopus S. Eccleſiæ Julienſis his
„ &c.

(a) *obtinere autem.*

,, Severus Epiſcopus S. Eccleſię Trieſtinę his &c.
,, Solacius Epiſcopus S. Eccleſiæ Veronenſis his
,, &c.
,, Joannes Epiſcopus S. Eccleſiæ Parentinę his &c.
,, Aaron Epiſcopus S. Eccleſię Avoricienſis his &c.
,, Marcianus Preſbyter locum faciens viri Beatiſ-
,, ſimi Ingenuini Epiſcopi S. Eccleſiæ ſecundæ
,, Rhetię his &c.
,, Agnellus Epiſcopus S. Eccleſię Tridentinæ ſu-
,, perveniens his geſtis ſubſcripſi.
,, Vigilius Epiſcopus S. Eccleſiæ Scaravenſis his
,, geſtis ſubſcripſi, ſuperveniens in ſancta Sy-
,, nodo, his geſtis mihi relectis.
,, Laurentius Presbyter ſuperveniens in ſancta
,, Synodo, locum faciens Viri Beatiſſimi Fon-
,, teii Epiſcopi S. Eccleſiæ Feltrinæ, his geſtis
,, mihi relectis ſubſcripſi.
,, Marcianus Epiſcopus S. Eccleſię Petenatis ſu-
,, perveniens in ſancta Synodo, his geſtis mihi
,, relectis ſubſcripſi.

Sequuntur Preſbyterorum ſubſcriptiones. Ita vero leguntur Synodi acta, Pelagii epiſtola, & Epiſcoporum ſubſcriptiones in Chronico Danduli, quod inter ſcriptores Italicarum rerum typis Mediolanenſibus editum eſt *ex duobus Codicibus MSS. Bibliothecę Eſtenſis*, ut Vir Clariſſimus Ludovicus Antonius Muratorius in Pręfat. teſtatur.

Variantes lectiones occurrunt in Codice, quo Ughellius uſus eſt in Tabulis Aquilejenſibus. In oratione Eliæ ad Synodi Patres habita, poſt illa verba, *Veſtra nunc in illo præſentia perfruamur*, ita legimus apud Ughellium: *Dignum vero, Cariſſimi Fratres*,

man-

Digitized by Google

manſuetudo noſtra duxit, ex conſenſu Beatiſſimi Apoſtolicæ ſedis Papæ Pelagii, cui jam ante communi noſtrum intuitu deſcripſimus ſollicitudinem, ſi veſtra placet ſanctitati, hanc Civitatem Gradenſem noſtram perpetuo confirmare Metropolim, novamque vocare Aquilegiam. Quoniam, ut prælibavimus, intervenientibus malis noſtris &c. Attilæ, Gothorum, & Langobardorum infeſtationes narrantur, iterumque loqui Elias inducitur in hæc verba: *Ex conſenſu Beatiſſimi Apoſtolicæ ſedis Papæ Pelagii, cui jam ante deſcripſimus neceſſitudinem, ſi veſtræ placeat ſanctitati &c.* Eodem in Codice ſic incipit epiſtola Pelagii: *Convenit Apoſtolico moderamini, pia religione pollentibus &c.* in ſubſcriptionibus Vindemius dicitur *Epiſcopus S. Eccleſiæ Caſen.* vel ut alia lectio habet in margine, *Ceſenſis.* Inter Virgilium Paravinum, & Patricium Emonenſem ſolus mediat *Clariſsimus*: iſque dicitur *Epiſcopus S. Eccleſiæ Celicanæ.* Error eſt corrigendus ex initio actorum, ubi legimus, Eliam in Concilium veniſſe *cum Virgilio, Joanne, Clariſsimo, Patricio.* Alia quoque marginalis lectio *Celejanam* habet, non *Celicanam* Eccleſiam. Item Aaron Epiſcopus dicitur *S. Eccleſiæ Aventien.* Appellatur Vigilius *Eccleſiæ Scaravacien.* Epiſcopus: atque demum inter hunc, & præcedentem Marcianum deſideratur *Agnellus Tridentinus.*

Notæ chronologicæ, quæ leguntur, annum deſignant coactæ Synodi DLXXIX. Numeratur indictio XIII. a Septembri præcedenti incepta, cum die tertia Novembris celebrata fuerit Synodus. Conſulatus habetur ſolius Tiberii: ejuſque annus quintus deſumitur, ex quo Cæſar appellatus, & Imperii particeps cum Juſtino Juniore factus eſt poſt menſem Novem-

brem

brem anni DLXXIV. Ita Noriſius, & Pagius, hujuſce etiam Synodi fide vocata, Tiberii Coſtantini digerunt annos.

Acta eadem profert Ughellius in Patriarchis Gradenſibus compendio collecta ex vetuſto Chronico Bibliothecæ Barberinæ, quod inſcriptum eſt: *De ſingulis Patriarchis novæ Aquilegiæ, quæ Gradenſis Eccleſia vocatur, a tempore Domini Eliæ*. Chronicon Gradenſe dici ſolet. Quæ in eo leguntur verba, hoc loco præſtat ſubjicere, ut aliæ actorum diſcrepantiæ cuique conſtent.

„ Temporibus Tiberii Conſtantini Aug. Helias Pa„ triarcha Aquilejenſis in Gradenſi Caſtro Eccleſiam „ S. Eufemiæ fabricari præcepit, ibique Synodum „ congregavit. In qua Synodo quidquid de Chalce„ donenſi concilio dubitabatur, pulſa dubitatione con„ firmatum eſt. Ibique ſtatuit Eccleſiam Gradenſem „ caput, & Metropolim totius Provinciæ Hiſtrien„ ſium, & Venetiarum. Cujus Venetiæ terminus a „ Pannonia uſque ad Adam fluvium protendebatur. „ Epiſtolamque pro his ſtatutis accepit a Beatiſſimo „ Papa Pelagio, conſentientibus univerſis Epiſcopis „ jam dictarum Provinciarum. Paulus ſiquidem præceſ„ ſor ejus hoſtile periculum non ferens, Longobar„ dis advenientibus, cum omni theſauro Eccleſiæ, „ Gradum ſe contulerat, afferens ſecum corpora „ Ss. Martyrum Hilarii, & Tatiani, & reliquorum. „ Defuncto vero Paulo, & in Eccleſia Gradenſi hu„ mato, cujus ſepulchrum uſque modo ibi manet, „ Probinus Gradenſium, ideſt, novæ Aquilegiæ, re„ xit Eccleſiam. Cui ſuccedens memoratus Helias Pa„ triarcha hæc quæ ſupra ſcripta ſunt, ordinavit...

„ Aſ-

„ Aſſerens in Synodo ſupra ſtatuta: Cariſſimi Fratres, „ intervenientibus malis noſtris, cotidie hoſtile perpatimur flagellum. Et Jampridem ab Atila Hunnorum Rege Aquilegia civitas noſtra funditus deſtructa eſt: & præterea Gothorum incurſu, & cæterorum barbarorum quaſſata vix aſpirans, ſcilicet & nunc Longobardorum nefandæ gentis flagella ſuſtinere non poteſt. Quapropter dignum duxit manſuetudo noſtra, ſi veſtræ placeat ſanctitati, in hoc caſtro Gradenſi noſtram confirmare Metropolim. Quo dicto omnibus placuit Epiſcopis: & facto libello ſtatutæ ſuæ.... (*a*) demonſtrata Chalcedonenſi Synodo, & de hac ipſa ſede, ſubter manibus ſuis ſubſcripſerunt. Ideſt primus *Helias Patriarcha, deinde Marcianus Epiſcopus S. Eccleſiæ Opitergina, Leonianus Epiſcopus Tibornienſis, Petrus Epiſcopus Altinatis, Vindemius Epiſcopus Cenenſis, Bergullus Epiſcopus Patavina Eccleſia, Joannes Epiſcopus Celejana, Clariſſimus Epiſcopus Concordienſis, Petrus Epiſcopus Emonenſis, Adrianus Epiſcopus Polenſis, Maxentius Epiſcopus Julienſis, Severus Epiſcopus Ingeſtinus, Solacius Epiſcopus Veronenſis, Joannes Epiſcopus Parentina Eccleſia, Aron Epiſcopus Avoricienſis, Ingenuus Epiſcopus ſecunda Rhetia, Agnellus Epiſcopus Tridentinus, Vigilius Epiſcopus Caravaſienſis, Fontejus Epiſcopus Feltrenſis, Marcianus Epiſcopus Petenenſis*.

Invicem ſi comparentur Acta a Dandulo recitata, eorumque fragmenta in chronico Gradenſi, haud levia quæ ſequuntur apparent diſcrimina. In illis paſſim, & ubique *Civitas Gradenſis* habetur: in iſtis *Caſtrum*

(*a*) In aliis codicibus, *de memorata Chalcedonenſi Synodo*.

ſtrum Gradenſe. Narratis cladibus, quas Atila cum Hunnis, & Gothi intulerant, inferebantque Langobardi, ſic ait Elias apud Dandulum editionis Mediolanenſis: *Si ergo conſenſu Beatiſſimi Apoſtolicæ Sedis Papæ Pelagii, cui jam ante communem noſtram deſcripſimus neceſſitudinem, veſtræ ſanctitati placeat, hanc Civitatem Gradenſem noſtram confirmare perpetuo Metropolim, novamque eam vocare Aquilegiam*. Aliter hæc verba efferuntur apud Ughellium, alliſque in codicibus, quos expendere licuit, ut ſuperius adnotavimus. Neque his demum conſonat Chronicon Gradenſe, in quo Eliæ verba ſunt: *Quapropter dignum duxit manſuetudo noſtra, ſi veſtre placeat ſanctitati, in hoc Caſtro Gradenſi noſtram confirmare Metropolim*. Denique *Laurentius Presbyter, Apoſtolicæ Sedis legatus*, apud Dandulum ſubſcribit Synodi geſtis: cujus nulla mentio in codice Barberino.

In Bibliotheca Contarenorum *ad Caritatem* Chronicon adſervatur *Venetiarum ſecundum Benintendi Cancellarium ejus*, Virum illuſtrem ſeculi XIV. in quo ejuſdem Synodi acta recenſentur, in eiſque non pauca deprehenduntur lectionum diſcrimina. Præfari in Synodo ad Patres inducitur Elias, prout in Chronico Danduli apud Ughellium: nonnihil tamen differt orationis finis, ubi hæc habentur: *Ex conſenſu Beatiſſimi Sedis Apoſtolicæ Papæ Pelagii proponitur vobis, quod diximus*. In epiſtola Pontificis, quæ ſequitur, deſunt illa verba *Noſtro fuerint ſtudio*; & illa, *Per miſſa tua venerandæ fraternitatis brevia*; rurſus, *Miſſa præceptione concedere deberemus*; itemque, *Per hujus præcepti ſeriem*; & illa demum, *Eapropter Apoſtolica auctoritate*. Incipit vero, *Convenit Apoſtolico mo-*

de-

deramini pia religione pollentibus. Non *opportuno tranſmutata tempore* legimus, ſed *opportunitate temporum tranſmutata*. Ac demum ubi Pontifex ait, *Quæ a nobis decreta ſunt*, duo verba interſeruntur, *Quæ a nobis piæ intentione decreta ſunt*. Translatione ſedis acclamatione Patrum adprobata, ſubjiciuntur Epiſcoporum ſubſcriptiones, reciſa actorum parte, in qua de fide, deque Synodo Calchedodenſi agitur: ejuſdemque nulla in Chronico mentio, nullum veſtigium.

Acta ſua teſtatur Dandulus, *in authenticis*, *& vetuſtiſsimis codicibus* reperiri. Eadem, quæ recenſet Benintendus, deprompta ſcribit *ex vetuſtis*, *& authenticis codicibus*: quod mirum eſt. Hæc certe acta ſaltem interpolata fuiſſe, puto negaverit nemo. An etiam conficta dici debeant, ac ſuppoſititia, diſcutiendum eſt.

CAPUT X.

Fictam Synodi Gradenſis partem priorem cum epiſtola Pelagii, plura ſuadent. Tempus, & cauſa fictionis indicantur. Pars altera ad Synodum Paulini ſchiſmaticam pertinere videtur.

Eadem acta Synodi Gradenſis, epiſtolamque Pelagii II. ad Eliam datam paulo attentius expendenti, conficta mihi videntur, ac ſuppoſititia. Commentum vidiſſe puto Sabellicum, rerum Venetarum Scriptorem præſtantiſſimum; cum Lib. 1. Decad. 1. prædicto Gradenſi conventui, ac in eo decretæ Metro-

lectionem veſtram, *Fratres Filiique Cariſſimi*, *noſtra tardius ſcripta dirigimus*, *non malevolæ voluntatis*, *aut diſſimulationis*, *vel negligentiæ fuiſſe credatur*. Cum *tardius* dicit ſua ſe *ſcripta* ad Eliam, & Collegas *dirigere*, aperte ſignificat, non antea ſe ad ipſum ſcripſiſſe. Hinc pro ſummæ humanitatis officio dilationem excuſat, crimenque a ſe repellit *malevolæ voluntatis*, *diſſimulationis*, *& negligentiæ*. Quęnam malevolę voluntatis in Pelagio ſuſpicio obtendi poterat, ſi paucos ante annos Elię poſtulatis annuens, ptęclaro ipſum exornaſſet privilegio? Quę negligentia excuſanda fuerat, ſi vel ipſo Pontificatus anno primo, Metropolitę preces peramanter ſuſcepiſſet, ac eidem humaniſſimam dediſſet epiſtolam? Diſſimulationis potius, quam negat, incuſandus foret ut pote qui *pia religione pollentes* appellet eos, quorum ipſi rebellio notiſſima erat.

Excuſationis cauſam affert Pontifex temporum arduitatem: *Sed ſicut noſtis*, inquiens, *temporalis qualitas*, *& hoſtilis neceſſitas hactenus impedivit*. Hinc aliud ſuſpicionis argumentum ſequitur. Inducitur quidem in Actis prçloqui Elias: *præter ſpem*, *ac ſupra*, *inter angores*, *& gentium ferociſſimas clades*, tot potuiſſe ad Synodum convenire Epiſcopos: re tamen ipſa id fieri potuiſſe, minime vero ſimile eſt. Teſtatur Pelagius, *ob temporalem qualitatem*, *hoſtilemque neceſſitatem* ſibi non licuiſſe, ab anno DLXXVIII. quo Pontifex creatus eſt, ſcripta ſua ad Eliam, & Collegas dirigere: licuerit vero Elię Synodum anno ſequente DLXXIX. celebrare, ac viginti Venetiæ, Iſtriæ, Norici, Rhetiæ ſecundæ, Pannoniæ congregare Epiſcopos? Decem duntaxat Synodo Marianenſi interſunt, itemque de-

decem libello ad Mauricium miſſo ſubſcribunt, frequentiorem numerum calamitate temporum impediente: tot vero potuerit Elias tam diſſitarum Provinciarum cogere Antiſtites *inter angores, quibus Eccleſia Domini circumquaque depreſſa ſuſpirat*, ut ait ille, & *gentium ferociſſimas clades, qua miſera provincia* (Aquilejenſis) *reliquias quatere, ac devaſtare non ceſſant*? Conſtat, Alboino, & Clepho Regibus defunctis, Ariſtocratiam cœpiſſe anno DLXXVI. triginta Ducum: quo tempore eo licentius Langobardi ſæviebant, (ut notat Baronius ad Annum DLXXIII. num. 7.) quo ex crudelitate quiſque Ducum potentior videri vellet, cum neminem haberet qui patratorum ſcelerum ultor judex exiſteret. His porro Ducibus furentibus, inter armorum ſtrepitus, inter anguſtias, & clades, Ariſtocratia vix cœpta, anno DLXXIX. Synodum viginti Epiſcoporum abſque ullo impedimento ab Elia celebrari in Inſula Grado potuiſſe, quis credat?

Sedis Apoſtolicę legatus, *Laurentius Presbyter* præſentia ſua Synodum condecoraſſe dicitur. Quiſque credat, id illi munus injunctum, ut ab Elia aliiſque Epiſcopis cautiones reciperet, quarum uſus obtinebat; eoque reverentiæ, & catholicæ comunionis officio gratum animum Pontifici pro collato beneficio ipſi oſtenderent. Permitti illis potuit prudenti œconomia, ut Synodum quintam prætermitterent, ac tria relinquerent in medio capitula. Aliæ ſaltem cautiones, quibus profiterentur, ſe in unitate Eccleſiæ, & communione Romani Pontificis permanere velle, expoſci debuerant. Utrumque genus cautionum expoſuimus Capite 1. Non ante Laurentius in Epiſco-

F pum

pum Mediolanenſem anno DLXXIII. electus eſt, quam primi generis data cautione. Adeo vero parum ſollicitus fuerit Pelagius II. ut quo tempore poſtulatum ab Elia concedebat privilegium, ſecundi ſaltem generis cautionem ab ipſo non exigeret?

At exigendæ ab hac Synodo cautiones non erant, quæ tota ſchiſmatica eſt. Hinc nemo credat, ejus actis *Laurentium Presbyterum Sedis Apoſtolicæ legatum* ſubſcripſiſſe, ac Eliam congregatoſque Epiſcopos Privilegii diplomate a Romano Pontifice donatos eſſe. Principium, unde prædicta conſectaria fluunt, oſtendo. Verba ſunt Eliæ in Actis: *Si veſtræ Beatitudini placet, recitentur etiam neceſſariæ cauſæ ad Eccleſiæ ſtatum pertinentes, pro quibus veſtram unanimem ſanctitatem ad nos uſque ſimiliter fatigari rogitavimus.* Pro cauſa ad Eccleſiæ ſtatum pertinente ad Synodum vocantur Epiſcopi. Ipſum erat Aquilejenſium, Venetorum, & Iſtriorum ſchiſma, quod Eccleſiæ ſtatum turbabat: cum enim cæteri totius orbis Epiſcopi, aut Synodum quintam cum damnatione capitulorum ſuſciperent, aut iis qui eam ſuſcipiebant communionem non negarent, utrumque exequi renuebant illi, Synodi quintæ contemptores, & ab unitate Eccleſiæ præciſi. Nulla vero in hac Synodo, quę dicitur Gradenſis, quinti Concilii generalis aut capitulorum mentio habetur; neque catholica inſtaurata communio apparet: ut plane ſchiſmaticam Synodum actis illis exhiberi, dicendum ſit. Digna ſunt animadverſione Chronici Gradenſis ea verba: *Facto libello ſtatuta ſua .... de memorata Chalcedonenſi Synodo, ſubter manibus ſuis ſubſcripſerunt.* Hoc eſt, rejecta Synodo quinta, decretum eſt ut uni Synodo Calchedonenſi ſubſcribendum foret. Illa quoque verba

ba præteriri non debent: *In qua Synodo* (Gradenſi) *quidquid de Calcedonenſi Concilio dubitabatur, pulſa dubitatione confirmatum eſt*. Hoc eſt, dubitabatur de Synodo quinta, num ob tria capitula quorum in ea damnatio acclamata eſt, Synodum lęderet, & labefactaret Calchedonenſem. Pulſa dubitatione, confirmatum eſt, Calchedonenſi adverſari Synodum quintam: adeoque illa demonſtrata eſt, ut quinta reprobata, eidem ſubſcriberent Epiſcopi. Nemo non videt, ſchiſmaticam Synodum. An ergo Pelagius privilegio conceſſo quod poſtulaverant, furentibus favere voluerit Epiſcopis? An rebellionis actis Laurentius legatus ejus ſubſcripſerit? Abſurda ſunt, quæ fictam legationem Laurentii, ipſamque Synodum evincunt.

Eliæ conditio ejuſque collegarum magis eſt declaranda, ut epiſtolæ, quæ circumfertur Pelagii, actorumque Synodi confictio magis appareat. Schiſmate laborantem Eliam, cum Aquilejenſi Eccleſiæ præfectus eſt, ejuſque miſerum in ſchiſmate finem, tres epiſtolæ Pelagii dubitare non ſinunt. Epiſcopi, quorum nomina ſubſcripta legimus, iidem ipſi ſunt, qui Marianenſi in Synodo Severum ad vomitum redeuntem receperunt, atque ſchiſmaticum Mauricio Imperatori libellum dedere. Perfidiam ſuam in libello citato exponunt: *A communione damnantium*, inquientes, *cum divina gratia abſtinere dignoſcimur*: & *noſtrarum Provinciarum venerandi Deceſſores* (quos inter Elias) *ad hoc* (ad conſenſum damnationis capitulorum, ad iis qui damnabant capitula communionem concedendam) *inclinari nullo modo potuerunt*. Hæc vero, quæ certiſſima ſunt, quis cum actis Synodi Gradenſis, cum epiſtola Pelagii conciliaverit?

pum Mediolanenſem anno DLXXIII. electus eſt, quam primi generis data cautione. Adeo vero parum ſollicitus fuerit Pelagius II. ut quo tempore poſtulatum ab Elia concedebat privilegium, ſecundi ſaltem generis cautionem ab ipſo non exigeret?

At exigendæ ab hac Synodo cautiones non erant, quæ tota ſchiſmatica eſt. Hinc nemo credat, ejus actis *Laurentium Presbyterum Sedis Apoſtolicæ legatum* ſubſcripſiſſe, ac Eliam congregatoſque Epiſcopos Privilegii diplomate a Romano Pontifice donatos eſſe. Principium, unde prædicta conſectaria fluunt, oſtendo. Verba ſunt Eliæ in Actis: *Si veſtræ Beatitudini placet, recitentur etiam neceſſariæ cauſæ ad Eccleſiæ ſtatum pertinentes, pro quibus veſtram unanimem ſanctitatem ad nos uſque ſimiliter fatigari rogitavimus*. Pro cauſa ad Eccleſiæ ſtatum pertinente ad Synodum vocantur Epiſcopi. Ipſum erat Aquilejenſium, Venetorum, & Iſtriorum ſchiſma, quod Eccleſiæ ſtatum turbabat: cum enim cæteri totius orbis Epiſcopi, aut Synodum quintam cum damnatione capitulorum ſuſciperent, aut iis qui eam ſuſcipiebant communionem non negarent, utrumque exequi renuebant illi, Synodi quintæ contemptores, & ab unitate Eccleſiæ præciſi. Nulla vero in hac Synodo, quę dicitur Gradenſis, quinti Concilii generalis aut capitulorum mentio habetur; neque catholica inſtaurata communio apparet: ut plane ſchiſmaticam Synodum actis illis exhiberi, dicendum ſit. Digna ſunt animadverſione Chronici Gradenſis ea verba: *Facto libello ſtatuta ſua .... de memorata Chalcedonenſi Synodo, ſubter manibus ſuis ſubſcripſerunt*. Hoc eſt, rejecta Synodo quinta, decretum eſt ut uni Synodo Calchedonenſi ſubſcribendum foret. Illa quoque verba

ba præteriri non debent: *In qua Synodo* (Gradenſi) *quidquid de Calcedonenſi Concilio dubitabatur, pulſa dubitatione confirmatum eſt*. Hoc eſt, dubitabatur de Synodo quinta, num ob tria capitula quorum in ea damnatio acclamata eſt, Synodum lęderet, & labefactaret Calchedonenſem. Pulſa dubitatione, confirmatum eſt, Calchedonenſi adverſari Synodum quintam: adeoque illa demonſtrata eſt, ut quinta reprobata, eidem ſubſcriberent Epiſcopi. Nemo non videt, ſchiſmaticam Synodum. An ergo Pelagius privilegio conceſſo quod poſtulaverant, furentibus favere voluerit Epiſcopis? An rebellionis actis Laurentius legatus ejus ſubſcripſerit? Abſurda ſunt, quæ fictam legationem Laurentii, ipſamque Synodum evincunt.

Eliæ conditio ejuſque collegarum magis eſt declaranda, ut epiſtolæ, quæ circumfertur Pelagii, actorumque Synodi confictio magis appareat. Schiſmate laborantem Eliam, cum Aquilejenſi Eccleſiæ præfectus eſt, ejuſque miſerum in ſchiſmate finem, tres epiſtolæ Pelagii dubitare non ſinunt. Epiſcopi, quorum nomina ſubſcripta legimus, iidem ipſi ſunt, qui Marianenſi in Synodo Severum ad vomitum redeuntem receperunt, atque ſchiſmaticum Mauricio Imperatori libellum dedere. Perfidiam ſuam in libello citato exponunt: *A communione damnantium*, inquientes, *cum divina gratia abſtinere dignoſcimur*: & *noſtrarum Provinciarum venerandi Deceſſores* (quos inter Elias) *ad hoc* (ad conſenſum damnationis capitulorum, ad iis qui damnabant capitula communionem concedendam) *inclinari nullo modo potuerunt*. Hæc vero, quæ certiſſima ſunt, quis cum actis Synodi Gradenſis, cum epiſtola Pelagii conciliaverit?

Produnt Acta, Pelagio Pontifici ſcripſiſſe Eliam, Sedis Aquilejenſis translationem obtinuiſſe, datum a Pelagio diploma, in Synodo lectum, Legatum ejus interfuiſſe, Pelagio vitam communi voce acclamatam. Hæc ſunt inſignia catholicæ communionis teſtimonia; a qua tamen *cum divina gratia ſe abſtinere* gloriantur Epiſcopi, quos ita Romano Pontifici obſequentes, ejuſque auctoritatis veneratores exhibent Synodi acta. Quinimo illos ipſos, qui de rebellione ſua gloriantur, inducitur Pelagius in epiſtola ad ipſos data, *pia religione pollentes* appellare; ac ipſum ſchiſmaticorum principem hortari, ut *relevet oppreſſos, corripiat inquietos*, & *Zizania* evellat *ne dominicam poſſint ſuffocare meſſem*. Hęc abſona ſunt, quæ invicem componi nulla ratione poſſunt.

Quid? quod ſimiles aliæ vulgatæ fabellæ ſuſpicionem tot hactenus argumentis munitam confirmant. Scribit Dandulus Lib. 6. cap. 3. Par. 27. Magnum Gregorium juxta vota Severi, qui Eliæ ſucceſſit, *novæ Aquilejæ Sedem per privilegium confirmaviſſe*. Commentum eſt apertiſſimum, ut infra dicemus. Fertur etiam ab Ughellio in Solacio Veronenſi *Pelagii univerſalis Epiſcopi* diploma, quo *Paulo Sanctæ Aquilejenſis Eccleſiæ Patriarchæ* ſubjicitur Veronenſe Cœnobium *S. Mariæ ad Organum*. Non is fuerit Pelagius II. qui novem annos poſt obitum Pauli, aut Paulini Aquilejenſis, Pontifex Romanus creatus eſt. Neque conveniunt Pelagii I. ætati Chronicæ notæ, ideſt, *Martius menſis*, & *Indictio tertia*: quanquam præteréa id nemo de Pelagio I. credat, qui Paulinum Apoſtolico vigore inſequutus eſt, habuitque ipſum *Pſeudepiſcopum*, non *conſecratum ſed execratum*, &

Aqui-

Aquilejenſis Eccleſiæ invaſorem. Neque demum prætereo, ſcriptum legi diploma *per manus Laurentii Presbyteri S. Romanæ Eccleſiæ Bibliothecarii*. Quidni eodem commento, quo *Laurentius Presbyter* notarius adulterini diplomatis factus eſt, legatione quoque Sedis Apoſtolicæ ad Synodum Gradenſem confictam decoratus fuerit?

Similes alias feſtivas lepidaſque fabellas refero, ad hanc Metropolitanæ Aquilejenſis Eccleſiæ translationem in Inſulam Gradum exornandam ineptiſſime confictas. Codicem vetuſtum legere licuit, mihi ſumma Illluſtriſs. Apoſtoli Zeno humanitate communicatum, in quo rerum Venetarum Chronicon habetur, antiquitate, ac raritate inſigne, a *Joanne Sagornino*, arte *Ferrario*, qui prima XI. Seculi medietate vitam agebat, ſatis apte, & concinne compoſitum. Chronici hujuſce fide infra utemur. Alia deinde ſubjiciuntur hiſtoriarum fruſta, quorum latet auctor. Agitur ibidem de novæ Metropoleos inſtitutione in Inſula Grado, quæ novo deſcribitur inducto figmento. Narratur enim, *Beatum Ducem Metamaucenſium cum quibuſdam Tribunis, & nobilibus ſuis ad univerſalem Romanæ Sedis Pontificem, nomine Benedictum, iter aggreſſos eſſe*: ab eo *fuſis precibus* poſtulaſſe, *quatenus Gradenſe caſtrum, novam Aquilejam inſtitueret, & totius Venetiæ, & Iſtriæ metropolim ordinaret*: Sanctiſſimum Pontificem *benignitatis clementia motum, dignis eorum condeſcendiſſe precibus*: datam *clero, & populo eligendi Patriarcham facultatem*, datamque *præfatæ regionis Duci inveſtitionis poteſtatem*: electum vero fuiſſe *Paulum quemdam S. R. E. Cardinalem ab ipſis Tribunis, & nobilibus, qui cum Beato Duce* (Romę)

aderant, *qui ab ipſo Duce inveſtitionem accepit*: ipſumque demum *a Pontifice conſecratum*, *cum pallii benedictione in novam Aquilejam cum eiſdem fuiſſe remiſſum*. Ita fabulatores pro genio confingunt, quę placent. Eccleſiæ Metropolitanæ Aquilejenſis translatio ſemel animo concepta pro viribus tuenda fuerat: fabuliſque fulcienda fabula. His Elias eſt primus novæ Aquilejæ Metropolita: his Paulus. Ab Elia diploma Pontificium impetratum, fingunt alii: aliique, Tribunos ipſos Romam perrexiſſe, ut id impetrarent. Nec idem Romanus Pontifex obtruditur, quem Pelagium II. vocant alii, alii Benedictum: nec enim ut una veritas, ita unum mendacium eſt.

Sed fabulis nondum finis. In ipſa quoque Synodo Gradenſi, quæ ab Elia celebrata fertur, commenta occurrunt apertiſſima. Plura prætereo: illud affero, quo fingitur, Eliam *cum omni multitudine Epiſcoporum*, *& Cleri*, *ac populi collaudatione ordinaviſſe XVI. Epiſcopatus intra Forojulienſium*, *& Iſtriæ ſive Dalmatiæ partes*: Sex etiam numerantur Sedes ab ipſo conſtitutæ in *Venetia* maritima: *Torcellana*, *Metamaucenſis*, *Olivolenſis*, *Equilienſis*, *Eracliana*, *Caprulenſis*. Quot ſcilicet verba, tot pene fabulæ; e quibus demum conjicere licet quam labili fide Synodus Eliæ Gradenſis, quam confictam ſuſpicamur, innitatur.

At epiſtolam Pelagii, ac Synodi acta (objectio eſt) recenſet Dandulus in Chronico: teſtaturque, ſe illa, *ſicut in authenticis*, *& vetuſtiſſimis codicibus* reperit, *ſingulariter deſcribere*. Epiſtolæ quoque meminit vetuſtum Chronicon Gradenſe, ac Synodi acta compendio collecta profert. Dicere potuit *vetuſtiſſimos codices* Dandulus, e quibus eruit Pelagii epiſtolam, &

Sy-

Synodi Gradenſis acta; cum ille ſeculo XIV. Chronicon ſuum concinnaret, & acta Synodi jam vulgata fuerint anno DCCCXXVII. in Concilio Mantuano. Scriptor etiam Chronici Gradenſis poſterior eſt ætate, cum ſeculum XI. attigerit, quo incœpto Urſus, in quo Chronicon idem deſinit, Gradenſem Eccleſiam obtinebat. Hinc etiam mirum eſſe non debet, privilegium Pelagii in Diplomatibus, quæ pro Eccleſia Gradenſi ab aliquibus Romanis Pontificibus ſequiori ætate data ſunt, memorari potuiſſe.

Codices eoſdem vocat Dandulus *authenticos*: verum id allata argumenta in dubium vocant, noſtramque ſuſpicionem augent citatæ Synodi Mantuanæ acta. Maxentius, Aquilejenſis Metropolita, Epiſcopos Iſtrios ad ſuam Provinciam revocare ſtudens, Concilium Mantuæ celebrari, in quo dirimeretur inter ipſum, & Gradenſem Epiſcopum quæſtio, ab Eugenio II. Romano Pontifice obtinuit. Acta cum notis edidimus ad annum DCCCXXVII. Tom. 9. Concil. edit. Ven. Pontificis nomine præfuerunt *Benedictus Epiſcopus*, & *Leo Diaconus*: aderant *Sicardus Palatinus Presbyter*, & *Vir ſpectabilis Theato*, a Ludovico, & Lothario Imperatoribus miſſi: Epiſcopi interfuerunt trium Provinciarum, Æmiliæ, Liguriæ, & Venetiæ. Maxentii libellus oblatus eſt, in quo poſtulabat, *ut ſua Provincia Eccleſias, quas Barbarorum incurſus a ſua Matrice ſegregaverat, auctoritate canonum, jam pacis tempore, percipere mereretur ad propria.* Hæc in eo inter alia leguntur verba: *Eo tempore, quo Longobardi Italiam invaſerant,.... Aquilejenſi Civitati ejuſque populo Paulus Patriarcha præerat: qui Longobardorum barbariem, & immanitatem metuens, ex Civitate Aquile-*

lejenſi, *& de propria Sede ad Gradum Inſulam plebem ſuam confugiens, omnem theſaurum, & ſedes Sanctorum Marci, & Hermagoræ ſecum ad eandem Inſulam detulit: idcirco non ut ſedem, aut primatum Eccleſiæ ſuæ, ſuæque Provinciæ conſtrueret ibi; ſed ut Barbarorum rabiem poſſet evadere. Qui duodecim annis ſacerdotium gerens, ab hac luce ſubtractus eſt, regendamque Eccleſiam Probino reliquit. Iſto quoque Aquileja defuncto, præfatæ Aquilejenſi Eccleſiæ ſacerdos Elias præficitur: & hoc quoque mortuo, Severus huic ſuccedens regendam ſuſcepit Eccleſiam*. Nulla hic mentio Synodi Gradenſis ab Elia celebratę, epiſtolę Pelagii, canonicę Sedis Aquilejenſis translationis, ac novę in Inſula Grado Metropoleos inſtitutionis. Paulinus dicitur, ob metum Langobardorum, relicta Aquileja, ad Inſulam confugiſſe: idque factum, palam coramque proteſtatur Maxentius, *non ut ſedem aut primatum Eccleſię ſuę ſuæque Provinciæ conſtrueret ibi: ſed ut Barbarorum rabiem poſſet evadere*. Canonicam ergo negabant hoc ęvo Aquilejenſes translationem: Inſulamque Gradum aſylum duntaxat fuiſſe contendebant, quo barbarę gentis immanitatem, ac rabiem declinantes, ſe receperint Aquileję Metropolitę.

Sententiam pro Maxentio tulerant Synodi Patres; cum *ſupervenit Tiberius Diaconus, & Oeconomus Eccleſiæ Gradenſis, a Venerio ejuſdem caſtri Epiſcopo miſſus*. Quibus ille documentis cauſam ſuam peroraverit, videndum eſt. Rogavit, *ut auctoritates, quas pro ſua Eccleſia duxerat, in præſentia Synodi legerentur*. Atenim *relectis omnibus*, *reperimus* (verba Synodi ſunt) *exemplaria nullius manu eſſe roborata: & quamvis ita ſint, magis Aquilejenſi Eccleſiæ, quam ſuæ*

per-

pertinerent. Habes exemplaria pro Gradenſi Eccleſia producta: ſed *nullius* erant *manu roborata*. Cur autographa translationis documenta non protulerit Tiberius? Plane ſubolet impoſtura. Num authentica in Archivo Eccleſiæ monumenta adſervarentur, poſtulatum eſt. Dignum protulit animadverſione reſponſum Tiberius: *Reſpondit, nihil amplius habere, niſi Synodum ab Elia Aquilejenſi Patriarcha in Caſtro Gradenſi, quod plebs ejus erat, actam fuiſſe*. Ecce prima Synodi Gradenſis mentio. Hanc vero allegans ille, *cum nihil amplius haberet*, ſatis indicat, infirmo niti cauſam ſuam fundamento.

Initium recitat Tiberius actorum: *cujus*, inquiens, *Synodi initium eſt*: *Cum in Caſtro Gradenſi, ac plebe ſua, Helias Patriarcha ſanctæ Aquilejenſis Eccleſiæ cum Marciano, Leoniano, Petro, Vindemio, Virgulo, Joanne, & reliquis conſacerdotibus ſuis conſediſſet &c.* Hinc vero poſtremum ſuſpicionis argumentum occurrit, quod ex actorum inſigni diſcrepantia deſumo. Idem initium ſic effert Dandulus: *Cum in Civitate Gradenſi Helias Epiſcopus ſanctæ ejuſdem novæ Aquilegienſis Eccleſiæ, una cum Marciano, Leoniano, Petro, Vindemio, Virgilio, Joanne, Clariſſimo, Patricio, & reliquis Epiſcopis & Sacerdotibus, quorum nomina ſubſcriptiones propriæ manifeſtant, in concilium conveniſſent &c.* Tiberius dicit *Caſtrum Gradenſe*: Dandulus *Civitatem Gradenſem*. Addit ille, *Plebem ſuam*: quæ duæ voces prætermittuntur ab iſto. Legit Tiberius, *conſediſſet*: legimus in Dandulo, *conveniſſent*. Diſtinguit iſte *Epiſcopos & Sacerdotes*: hic ſolum *conſacerdotes* nominat. Ibi Elias appellatur *Pa-*

triar-

triarcha ſanctæ Aquilegienſis Eccleſiæ : hic additur ; *ſanctæ ejuſdem novæ Aquilegienſis Eccleſiæ* : manifeſto cum errore, cum nondum canonica, quæ obtenditur, ſedis Aquilejenſis translatio adprobata Synodi conſenſu fuerit. Tot in paucis verbis diſcrimina ſunt. Adde illa, quæ ſuperiore capite adnotavimus, neque levia, neque pauca. Animadverte, hæc Synodi acta variis in codicibus Danduli varie ſcripta reperiri : ab his etiam differre, quæ profert Benintendus : ab utriſque diſcrepare breve fragmentum, quod in Synodo Mantuana legimus : ac nihilominus Dandulum, & Benintendum, (quod mirum eſt) acta illa *ex vetuſtis & authenticis codicibus* deprompta teſtari. Variæ quoque, ac numero plures in Pelagii epiſtola occurrunt lectiones : hanc vero non memorat Tiberius in Synodo Mantuana : aut ſi eam protulerit, inter *exemplaria* rejicienda eſt, quæ *nullius manu roborata* inventa fuerunt. Quæ ſane omnia nos movent, ut confictam epiſtolam Pelagii, ſedis Aquilejenſis translationem, ac Synodum Gradenſem exiſtimemus.

Tempus, & cauſa confictionis ſatis aperta nobis videntur. Fabulam ſcilicet erupiſſe credimus poſt obitum Pauli Diaconi, qui rerum hujuſcemodi mentionem nullam habet. Hoc enim tempore frequentes erant inter Aquilejenſem, & Gradenſem Metropolitam lites, primo contendente, ut ad Provinciam ſuam redirent Epiſcopi, qui Gradenſi parere cogebantur, ac ipſa Gradenſis nova Metropolis extingueretur. Epiſtolam Pelagii, & Synodi acta, quæ finxerant, protulere Gradenſes, ut quod ſibi jus tribue-

buebant, auctoritate Apoſtolica, & Synodi Provincialis conſenſu firmatum oſtenderent. Sed *exemplaria nullius manu roborata*, ſpuria, & conficta rejecerunt Synodi Mantuanæ Patres.

Pars altera actorum, a Dandulo vulgata, ubi de fide agitur, in Chronico Benintendi deſideratur, tametſi profiteatur ille, *ex vetuſtis & authenticis codicibus* eadem acta deprompta eſſe. Hanc vero quo diligentius expendo, eo libentius feror ut credam, acta exhiberi ſchiſmaticæ Synodi, quam a Paulino celebratam fuiſſe, teſtimonio Pelagii I. certo diſcimus. Hinc etiam ſuſpicio eſt, his Paulini actis fabulam ſuam adjeciſſe Gradenſes, ut alterius partis veritate fidem alteri conciliarent. Docet nos laudatus Pontifex: *Particularem* fuiſſe a Paulino *Synodum congregatam ad dijudicandam generalem Synodum*. Hocce judicium in prædicta actorum parte manifeſte patet, ubi quinti Concilii prætermiſſa mentione, Calchedonenſe ſuſcipitur cum Epheſino, Conſtantinopolitano, & Nicæno. Adnotat chronici Gradenſis Auctor: *memorata Chalcedonenſi Synodo, ſubter manibus ſuis ſubſcripſiſſe Epiſcopos*: Quod perinde eſt, ac Synodum particularem coactam eſſe *ad dijudicandam generalem Synodum*, ut ait Pelagius. Ait etiam Pontifex: *Quoties aliqua de univerſali Synodo aliquibus dubitatio naſcitur*, ad ſedem Apoſtolicam confugiendum eſſe, nec illis privata licere judicare auctoritate. Id objecit Aquilejenſibus Pelagius, quod ab illis factum eſſe, chronici Auctor teſtatur: *In qua Synodo*, inquiens, *quidquid de Chalcedonenſi concilio dubitabatur, pulſa dubitatione confirmatum eſt*. Hæc ſane actorum Synodi

Gra-

Gradenſis dictæ pars , hęc citata Chronici verba eamdem exhibent, ut cuique patet, quam inſequitur Pelagius, Paulini ſchiſmaticam Synodum. Ita conjicere mihi libuit: aliorum eſto judicium.

CAPUT XI.

Eliæ ſuccedit Severus. Ravennam ducitur a Smaragdo, ubi tria capitula damnat. Vindemius inter Severi Socios numeratus, non eſt Cenetenſis, ſed Iſtrius Epiſcopus. Conſtantinopolim Smaragdus evocatur. Mariani Synodus cogitur, in qua ad ſchiſma redit Severus. Subſcriptiones Epiſcoporum expenduntur: deque Acili Epiſcopo præſertim agitur.

OBitum Eliæ Metropolitæ, ejuſque ſucceſſoris electionem Severi conſigno cum Dandulo anno DLXXXVI. Sibi ſatis conſtare Chronologiam puto, dummodo annum eumdem intelligamus vergentem ad finem, ut colligitur ex legatione ad Mauricium ab Elia ejuſque collegis directa, ejuſdemque Imperatoris juſſione ad Smaragdum data: quæ hoc anno currente peracta eſſe, oſtendimus capite 8.

Novum Aquilejæ Metropolitam cum accepiſſet Exarchus, pro tribus capitulis acerrime depugnare, Imperatoris mandatis paulo ante acceptis diſſimulatis, claſſem appulit data occaſione ad Inſulam Gradum: *perque ſemetipſum a Baſilica* Severum *extrahens, Ravennam cum injuria* (rem ita narrat Paulus Diaconus

nus Lib. 3. cap. 26.) *duxit, cum aliis tribus ex Hiſtria Epiſcopis; ideſt, Joanne Parentino, & Severo; atque Vindemio, necnon etiam Antonio jam ſene Eccleſiæ defenſore*. De his Epiſcopis Severi comitibus infra agendum eſt.

Cum Ravennam perveniſſent, *comminans exilia*, Smaragdus, *atque violentiam inferens*, (verbis utor Diaconi) *communicare eos compulit Joanni Ravennati Epiſcopo, trium capitulorum damnatori, qui tempore Vigilii Papæ, vel Pelagii, a Romana Eccleſia deſciverat ſocietate*. Illatas cum legis violentias, & exilia intentata, plus nimio amplificatum Smaragdi factum intellige. Joannes Ravennas tertius eſt hujus nominis Antiſtes, cujus pietatem commendant plures ad ipſum a Magno Gregorio datæ epiſtolæ. Ravennatium rexit Eccleſiam ab anno DLXXV. ad annum DXCV. juxta calculos Viri cl. Benedicti Bacchinii, qui in obſervationibus ad Agnelli Pontificalem Librum, famam ejus integerrimam contra Rubeum & Sigonium vindicat. Egregium pro eo teſtimonium fert Diaconus, dum relatis verbis ipſum exhibet *trium capitulorum damnatorem*; hoc eſt, recte de Synodo quinta generali cum Romano Pontifice, cum toto orbe ſentientem. Hinc mirum eſt, veluti ſchiſmaticum a Paulo poſtremis verbis traduci, quæ oſcitanter ab eo ſcripta, ſchiſmaticorum fabellis, quę adhuc vulgabantur, decepto, neceſſe eſt.

Minas, & injurias Metropolitæ Severo irrogatas Imperatori Mauricio deſcribunt ſchiſmatici in libello ſæpe citato: *Poſt hoc*, inquientes, *ordinato in ſancta Aquilejenſi Eccleſia Beatiſſimo Archiepiſcopo noſtro Severo qua contumelia illata ſint, & quibus injuriis*

riis ac cæde corporali fuſtium, & qua violentia ad Ravennatem fuerit Civitatem perductus, atque redactus in cuſtodiam, quibuſque neceſſitatibus oppreſſus atque contritus fuerit, potuit ad Domini noſtri pias aures ſine dubio pervenire. Silent ipſi initam a Severo cum Joanne catholicam communionem, ab eodemque tria capitula damnata. At ipſum ad unitatem Eccleſiæ rediiſſe, quam poſtea ſchiſmaticis collegis morem gerens turpiſſime infregit, nos docet S. Gregorius in epiſtola, quam ad illum Pontifex creatus primam dedit: *Et nos*, inquiens, *quantum incorporatum te jam pridem fuiſſe in unitate Eccleſiæ, gaviſi fueramus: abundantius nunc diſſociatum a catholica ſocietate, confundimur.*

Tres alii cum Severo Epiſcopi Ravennam a Smaragdo ducti ſunt, *Joannes Parentinus, & Severus, atque Vindemius.* Eccleſiam, & urbem Joannis nominat Paulus, ne ipſum fortaſſe confundi contingeret cum alio Severi Metropolitę ſuffraganeo, Joanne *Celeiana Eccleſiæ* Antiſtite. Notus erat Severus Tergeſtinus. Dicitur autem Vindemius in Chronico Danduli typis Mediolanenſibus edito, *Epiſcopus S. Eccleſiæ Cenetenſis*, manifeſto errore; Iſtrius enim erat Epiſcopus, Paulo Diacono teſte, qui loco cit. diſerte narrat, Severum a Smaragdo Ravennam ductum *cum aliis tribus ex Hiſtria Epiſcopis, ideſt Joanne Parentino, & Severo, atque Vindemio.* In Chronico Benintendi Epiſcopus dicitur *Ceſetenſis*: in Chronico Gradenſi apud Ughellium *Cenenſis*: in aliis Danduli Codicibus *Ceſenſis*, & *Ceſſenſis*. Legitur item *Ceſſenſis* in laudato Chronico Joannis Sagornini: eademque demum vox habetur in Synodo Mantuana: (*Ceſſentem*

ſem enim lego in Apogragho Mſ. quod penes me habeo: non *Cenetenſem*, ut error irrepſit in ejuſdem Synodi editionem ad Annum DCCCXXVII. Tom. 9. Concil. edit. Ven.) Occurrit *Ciſſa*, parva Iſtriȩ Inſula: Ait Plinius Lib. 3. cap. 26. *Juxta Iſtrorum agrum Ciſſa, Pullaria &c.* Inſulas quoque *in Colfo occidentali, littore Dalmatiæ, ſeu Liburniæ; atque Iſtriæ*, numerans Anonymus, ſeu Guido Presbyter Ravennas Lib. 5. Geogragh. num. 24. inter alias *Ciſſam* memorat. Verba Plinii expendens Cluverius Lib. 1. Ital. antiq. cap. 21. num. 12. ait: *Inſulæ littoribus Hiſtriæ objectæ in Tabula itineraria, ſunt Sepomaja, Urſaria, Pullaria. Omnes Plinio appellantur Pullariæ, ubi Ciſſa nominatur. An autem ea ſit, quæ juxta Urſariam, vulgo nunc Figaruola vocatur, incertum.* Ipſam potius Juſtinopolitanorum inſulam, quam hodie *Capodiſtria* vocamus, *Ciſſam* Plinio fuiſſe, putat Jo: Baptiſta Gagnaeus Pyrrhanenſis *De ſitu Iſtriæ ad Pyrrhanenſium Adoleſcentum Academiam*; eamque certe a Pullariis inſulis diſtinguit Plinius. Viſitur etiam ad auſtrum Revigni *Ciſanum* promontorium; vulgo dictum *Punta della Ciſana*, ubi mœnium fruſta reperiri, & antiquitatis monumenta; teſtatur Petrus Copus in opuſculo de eodem Iſtriȩ ſitu Italice ſcripto; conjectatque *Neſactium* oppidum fuiſſe a Plinio memoratum: qua in re diſſentientem habet Gagnȩum: *quominus*, inquientem, *ei aſſentiar, decade quinta de Bello Iſtrio tractans Livius facit, qui fluvium interfluere oppidum dicat, cum hic nullus plane ſit fluvius.* An his in locis, an alibi ſedem teneret Vindemius, incertum: notum vero compertumque, *ex Iſtria* provincia Epiſcopum fuiſſe.

Uti

Uti Severus cum Joanne Ravennate, Exarchi cedens minis, communionem iniit, ita *cum Patriarcha* (verba ſunt Diaconi) *communicaverunt iſti Epiſcopi*. Corruptus ſequitur textus, quo nomina eorum recenſentur: *Severus Parentinus, Joannes Patricius, Vindemius, & Joannes*. Severus Tergeſtinus erat, non Parentinus. Nec Joannes *Celejana Eccleſia*, nec Patricius *Emonenſis* cum Metropolita Ravennam ducti fuerant. Itaque legendum: *Joannes Parentinus, Severus, Vindemius, & Antonius defenſor*. Is erat Eccleſię Gradenſis procurator, aut negotiorum geſtor: quo de officio plura ſcribunt Auctores.

Hęc omnia contigiſſe dicendum eſt, anno currente DLXXXVII. Interim *exempto anno* (Diaconi verbis hiſtoriam perſequor) *a Ravenna ad Grados reverſi ſunt*, nempe Severus Aquilejenſis, ac tres comites ejus Iſtriæ Epiſcopi: *Quibus nec plebs communicare voluit, nec cæteri Epiſcopi eos receperunt*. Hæc ad annum pertinent DLXXXVIII. *Smaragdus Patricius, a Dæmonio non injuſte correptus, ſucceſſorem Romanum Patricium accipiens, Conſtantinopolim remeavit*; anno ſcilicet eodem DLXXXVIII. vel etiam ſub finem præcedentis.

Narrat Sigonius, Smaragdum ob captum vexatumque Severum a Mauricio Imperatore ex Italia revocatum, dato eidem ſucceſſore Romano Patricio. Id inficiatur Noriſius Diſſ. cit. cap. 9. §. 4. quod *ſchiſmatici* (in libello ſępe citato) *hoc minime reticuiſſent: neque an factum Smaragdi Imperatori innotuiſſet, ſubdubitaſſent*. Subdubitantium ſane ea videntur ſchiſmaticorum verba: *Quibus neceſſitatibus oppreſſus atque contritus fuerit* Severus, *potuit ad Domini noſtri pias aures*

ſine

ſine dubio pervenire. Non ajunt, Metropolitę ſuo illatas injurias ad aures perveniſſe Imperatoris, propter quas revocatus fuerit Smaragdus; verum eas pervenire ad aures ejus *potuiſſe*, confidunt. Nihilominus duo certa ſunt: tum Smaragdum, juſſione Imperatoris, quam paulo ante acceperat, diſſimulata, contra Severum, & Epiſcopos Iſtriæ egiſſe quæ narravimus: tum poſt hujuſmodi factum, datum illi eſſe in Exarchatu ſucceſſorem. Sed ipſum veluti ſacrilegum Sacerdotum temeratorem, a Dæmone correptum, fabula eſt, quam vulgabant ſchiſmatici, ſuæque inſeruit hiſtoriæ parum prudens Diaconus.

Non diu in catholica ſtetit unitate Severus: ad ſchiſma, quod ipſe, ac tres Iſtriæ Epiſcopi, & Eccleſię Gradenſis Defenſor Ravennę ejuraverant, unitate diſciſſa redierunt. Rem narrat Hiſtoricus his verbis: *Poſt hæc facta eſt Synodus decem Epiſcoporum in Mariano, ubi receperunt Severum Patriarcham Aquilejenſem, dantem libellum erroris ſui, quia trium capitulorum damnatoribus communicaverat Ravennæ*. Non repudiavit errorem Severus: ſed veritate, ac unitate Eccleſiæ repudiata, errorem & ſchiſma amplexus eſt. *Nomina vero Epiſcoporum, qui ſe ab hoc ſchiſmate cohibuerunt, hæc ſunt: Petrus de Altino, Clariſſimus, Ingenuinus de Sabione, Agnellus Tridentinus, Junior Veronenſis, Horontius Vicentinus, Ruſticus de Tarviſio, Fontejus Feltrenſis, Agnellus de Acilio, Laurentius Bellunenſis*. Decem Epiſcopos ait Synodum habuiſſe Mariani, ac nomina eorum decem recenſet: unde non omnes Aquileję ſuffraganeos numerare voluit Paulus, qui a communione eorum, qui capitula

 damna-

damnaverant, abhorrebant; ſed illos tantum, qui Severum, Synodo coacta, ad initam revocandam catholicam communionem impulerunt. Hi decem fuere: adeoque vitioſi ſunt Pauli codices, in quibus additi leguntur *Maxentius Julienſis*, & *Hadrianus Polenſis*.

Clariſſimus dicendus eſt *Concordienſis*. In Synodo Gradenſi, quam Ughellius recitat ex Dandulo, Clariſſimus idem dicitur *S. Eccleſiæ Celicanæ Epiſcopus*. Appellatur Concordienſis in editione Mediolanenſi, in Chronico Gradenſi, & in Synodo Mantuana. Noriſius Diſſert. cit. cap. 9. §. 4. legendum arbitratur, *S. Eccleſiæ Celinanæ*. Cum autem eundem legerit Clariſſimum, & *Concordienſis*, & *Celinanæ Eccleſiæ*, ut putat, Epiſcopum, ita dictum fuiſſe conjicit, quia Concordia ab Atila funditus everſa, hujus urbis Epiſcopus *Celinam* ſe contulerit. De hoc Oppido Celina, quod in Diœceſi Concordienſi nobile fuit circa *Maniacum* vicum (Incolis *Maniago dictum*) in ripa Celinæ amnis, agit pluribus Cluverius Lib. I. Italiæ antiq. cap. 18.

Error eſt apertiſſimus, qui librariorum oſcitantia in plures irrepſit Danduli codices, quos vidi. Duo confunduntur Epiſcopi, *Clariſſimus Concordienſis*, & *Joannes S. Eccleſiæ Celejanæ*, quos legimus diſtinctos in Chronico Danduli editionis Mediolanenſis, in Chronico Gradenſi apud Ughellium, & in Synodo Mantuana. Ex ipſis vitioſis codicibus colligitur emendatio. Actorum namque Synodi initio, Elias dicitur in Concilium veniſſe *cum Marciano, Leoniano, Petro, Vindemio, Virgilio, Joanne, Clariſſimo &c.* qui *Joan-*

Joannes inter Virgilium, & Clariſſimum numeratus, omittitur in ſubſcriptionibus; idemque in codicibus citatis non *Celicanæ*, nec *Celinanæ*, ſed *Celejanæ Eccleſiæ* Epiſcopus appellatur. *Cileja* vero, vel *Cilia*, Plinio *Celeja* Lib. 3. cap. 22. Ptolomeo *Celia* Lib. 2. cap. 13. vulgo *Cilly*, antiquiſſima Stiriæ inferioris urbs ad amnem *Saanam* non multo poſt *Savo* influentem ſita, a præcitatis Auctoribus Norico adſcribitur. Epiſcopali Sede his temporibus decorabatur, ac modo Parochia extat Aquilejenſi Patriarchæ ſubjecta.

Cum Marianenſi, tum Synodo Gradenſi dictę ſubſcriptos legimus *Clariſſimum Concordienſem*, *Petrum Altinatem*, *Ingenuinum Sabionenſem*, *Agnellum Tridentinum*, *Fontejum Feltrenſem*. Solacio Veronæ Epiſcopo defuncto ſubrogatum diſcimus *Juniorem*. Alii quatuor innoteſcunt ſuffraganei Aquilejenſes, *Horontius Vicentinus*, *Ruſticus de Tarviſio*, *Agnellus de Acilio*, *Laurentius Bellunenſis*.

Epiſcopatum Agnelli *Acilienſem*, ſeu *Acilenſem*, quem prius agnoverat, ſubinde pernegat Vir doctiſſimus D. Joannes Gaſpar Berretta Monachus Caſſinenſis. Inſignem ſub *Anonymo Mediolanenſi* latens edidit Anno MDCCXXVII. diſſertationem *De Italia medii ævi*, inter Scriptores Rer. Italic. Tom. 10. Hæc habet il-
„ le Sect. 15. nu. 76. *Acelum* Plinio 3. 19. non *Mons*
„ *ſilicis*, ut Albertus: neque *Ceneta*, ut Moletius
„ putarunt. Varie Paulus ſcribit; etenim in Hiſt. 3.
„ 27. inter Epiſcopos, quos ipſe dicit a ſchiſmate
„ defendentium tria capitula alienos, enumeratur *Ange-*
„ *lus de Acilio*; & in Continuatione ad Eutropium,

 „ *Agel-*

„ *Agellus de Acedo* juxta Ptolomæum 3. 1. ſed men-
„ doſe: nam Codices correctiores habent Α'κιλον,
„ quod *Aſolo*. „ Acilenſem hoc loco novit ille Epiſcopum, hoc eſt, *Aſilanum*, ſeu *Aſulanum*, & *Azulanum* in Marchia Tarviſina.

Anno MDCCXXIX. aliud Mediolani Vir idem eximius vulgavit opus, in quo *tria* continentur *ad tres Cenſuras reſponſa*, *Belli diplomatici hiſtoria*, *& Mantiſſa Emendationum*, *ac Additionum*. In ſecundo reſponſo ad cenſuram Anonymi Veneti, contra ſentit, ac prius in laudata diſſertatione de Acilenſi Epiſcopo ſcripſerat. Ait enim §. 7. „ (*a*) Dubia mul-
„ tum eſt (Italica verba latine refero) lectio Pauli.
„ Vulgata ejus editio de Geſtis Langobard. Lib. 3.
„ cap.

(*a*) *Bensì è molto più da dubitare della lezione di Paolo. La volgata de Geſt. Langobard. 3. 27. ritiene invariabilmente Agnellus de Acilio. Fr. Lindenbrogio nella raccolta delle varie lezioni p. 103. ediz. Plantin. 1595. la laſcia intatta, come pure il dottiſſimo Giuriſconſulto Orazio Bianchi, che nella Collezione Muratoriana ha eruditiſſimamente illuſtrato coll' abbondanti ſue note lo ſteſſo Paolo; è però comune, e coſtante l' erronea lezione. Ma l' errore corregge il medeſimo Paolo ad Eutropium lib. 18. in Mauritio, e nell' edizione Frobeniana 1518. Baſileenſe: e di Parigi di Simon Colineo 1531. In queſta però p. m. 40. b. ed in quella p. 555. uniformemente ſi legge Agellus de Acedo. E certamente queſta è la vera lezione non ancora oſſervataſi, e con cui ſi debbono correggere tutte le edizioni di Paolo de Geſtis &c. Acedo poi certamente è Ceneda, e non Monſelice non mai Veſcovile. Lo che conformaſi alla lezione nelle vite de' Patriarchi d' Aquilea pag. 235. (inter Murator. Anecd. t. 4.) dove riferendoſi lo ſteſſo Conciliabolo accennato da Paolo, v' intervenne Agelus Cenetenſis; poco quì importando la variazione del nome di Agellus, & Agnellus.*

„ cap. 27. (nobis 26.) conſtanter exhibet *Agnellum*
„ *de Acilio*. Fridericus Lindenbrogius in Collectione
„ variarum lectionum edit. Plantin. 1595. lectionem
„ eamdem intactam reliquit : quod etiam præſtitit
„ Horatius Blanchus Romanus, qui Pauli hiſtoriam
„ collectioni Muratorianæ inſertam eruditiſſimis notis
„ illuſtravit. Sed mendoſa, licet communis & con-
„ ſtans, lectio eſt. Errorem corrigit ipſe Paulus ad
„ Eutropium Lib. 18. in *Mauritio* edit Froben. Baſil.
„ 1518. & Collineanæ Pariſien. 1531. ubi legitur
„ *Agellus de Acedo*. Hæc veriſſima lectio eſt, quæ
„ nondum obſervata fuit: eaque reliquæ omnes Pauli
„ editiones emendari debent. At vero *Acedum* eſt
„ *Ceneta*, non *Mons ſilicis*, ubi nunquam ſedem ha-
„ buere Epiſcopi. Confirmatio ſumitur ex Vitis Pa-
„ triarcharum Aquilejenſium inter Anecdota Mura-
„ torii Tom. 4. facta enim Conciliabuli Marianenſis
„ mentione in *Severo*, inter Epiſcopos ſubſcriptus le-
„ gitur *Angelus Cenetenſis*.

Plura tamen nobis occurrunt, quæ Viro doctiſſi-
mo objici poſſunt. Non adeo leve ſumitur argumen-
tum ex vulgatis omnibus hiſtoriæ Langobardorum a
Paulo conſcriptæ editionibus, ubi conſtanter haberi
Agnellum de Acilio, novit ille ac ultro, fatetur. Sed
etiam codices, quibus præſtantiſſimi editores uſi ſunt,
lectionem eamdem conſtantiſſime exhibent. An tot
editionum, tot codicum fides, quæ peremptoria cre-
ditur in ſimilis argumenti cauſis, nihili hoc loco ha-
benda fuerit? Venerandę antiquitatis, & optimæ no-
tæ codicem memoro, Forijulii, in urbe, & patria
ipſius Pauli Diaconi, in Monaſterio Fratrum ordinis

Prædicatorum adſervatum , in quo ſcriptum legimus diſtincto, & perſpicuo charactere *Agnellum de Acilo*. Præſto quoque eſt Danduli Chronicon Lib.6. cap. 2. ubi idem vocatur Antiſtes *de Aſilo*; itemque Joannis Sagornini Chronicon , ubi *Agnellus* dicitur *de Acilo*. Quid plura? Agnellus ipſe, libello ſchiſmaticorum ad Mauricium miſſo ſubſcribens , appellat ſe *Epiſcopum Sanctæ Acelinæ Eccleſiæ*, apud Sirmondum, & Harduinum.

Mirum eſt, hanc lectionem veluti mendoſam , ab eodem Paulo correctam dici in Additamentis ad Eutropium , quæ in editionibus Baſileenſi, & Pariſina citatis *Agellum de Acedo* exhibent . An vero codices omnes hujuſmodi additionum prẹſtantiores melioreſque viderit Vir Doctiſſimus , contuleritque , ut inde colligat, legendum eſſe, *de Acedo*? Cur memoratæ editiones reliquis omnibus præponi debeant? Præ manibus habeo libros Eutropii cum additamentis Pauli Diaconi *Aureliana* editos inter latinos Hiſtoriæ Romanæ ſcriptores *anno* MDCXXIII. ac *Agnellum* lego *de Acilio*. Romanam conſulo editionem anni MCCCCLXXI. in qua *Agellus* dicitur *de Altilo* : eademque lectio occurrit in Additamento ad Hiſtoriam Miſcellæ, quod Cl. Muratorius inter ſcriptores Italicarum rerum typis edidit Mediolanenſibus. Mendoſa hæc lectio eſt: cur non etiam , *De Acedo* ? Producenda cauſa manet, cur in citatis duntaxat editionibus errorem ab ipſo Paulo correctum conſpicere liceat.

Sed *Acedum* eſt *Ceneta* : & Agnellus Epiſcopus *Cenetenſis*. At lis adhuc eſt , num in Venetia lo-

locus extiterit, qui *Acedum* diceretur? Lis adhuc agitur, num in Ptolomæo legendum ſit Ἄκεδον, an Ἄκελον; *Acedum*, an *Acelum*? Adnotat ſane in Diſſert. Clariſſimus Vir, *Codices correctiores habere* Ἄκελον, *quod Aſolo*. His præterea temporibus, quibus Conciliabulum Marianenſe coactum eſt, non *Acedum*, ſed *Cenetam* appellatam eſſe, colligi poteſt ex Agathia Lib. 2. ubi legimus: Francos *in ditionem Venetam veniſſe*: ἐς Κενεςὰ τὴν πόλιν, *ad Ceneſtam urbem per id tempus ipſis ſubditam, ſtationem habuiſſe*. Notat Cluverius, corrupte legi Κενεςὰ pro *Ceneta*: quo etiam nomine urbem illam, aut caſtrum vocat Paulus Diaconus Lib. 2. cap. 13. & ante Paulum Venantius Fortunatus Lib. 4. de Vita S. Martini: *Per Cenetam gradiens, & amicos Duplavenenſes*. Sed Acedum fuerit Ceneta: Agnellum certe non probat Epiſcopum *Cenetenſem* Catalogus Patriarcharum Aquilejenſium a Muratorio editus; cum *Acelinum* Antiſtitem prodant vulgatæ editiones, Codices bene multi optimæ notæ, ac libellus ſchiſmaticorum ad Mauricium: idemque preterea catalogus ubique, ac loco citato ſcateat erroribus. Dicitur *Clariſſimus de Sablone*: omittitur *Ingenuinus*: vocatur *Angelus* Tridentinus, præter alia nominum vitia.

Legendum itaque puto Agnellum *de Acilio*, vel *de Acilo*, ut meliores Pauli codices habent. Lectionem adprobat, ſed innectit dubium Anonymus Venetus, cujus cenſuram refellit Anonymus Mediolanenſis, num *Acelum* Plinii, aut *Acilium* vel *Acilum* Diaconi dici debeat *Aſulum*, aut *Aſilum* Marchiæ Tarviſinæ? Rem preſtat in medio relinquere, cum

hoc præſertim tempore Tarviſini, & Aſulani Cives hac de re magna contentione digladientur. Adnotare ſolum liceat, tum in Synodo Mantuana anno DCCCXVII. ſubſcriptum legi *Arthemium Azolen*; tum in Diplomate Othoniano ab Ughellio edito in Tabulis Tarviſinis, *Aſilenſis* cathedræ mentionem fieri; tum denique legitimum ſenſum diplomatis vindicari a laudato Mediolanenſi Anonymo in Reſponſo ad Cenſuram Venetam §. 8. &. 9.

CAPUT XII.

Marianum, ubi prædicta ſchiſmaticorum Synodus habita eſt, perperam confunditur cum vetere Celina, & hodierno Maniaco. Idem videtur eſſe, ac Oppidum Maranum ad littus Adriaticum in Forojulio.

De Synodi prædictæ ſchiſmaticorum loco, ubi coacta fuerit, latius agendum mihi eſt, ac ſingularis laudati Mediolanenſis Anonymi ſententia diligentiſſime diſcutienda. *Marianum* vocat Paulus Diaconus: eamque vocem retinent catalogi Aquilejenſes, & Sereniſſimus Dandulus in Chronico. Communis ac vulgata Forojulienſium Incolarum, ſcriptorumque perſuaſio eſt, Synodum illam in Oppido *Marani* ad littus Adriaticum habitam eſſe. Eam ſecutus Noriſius in Diſſert. cit. cap. 9. §. 4. ait: *Indicta autem fuit Synodus Marani, quod munitiſſimum modo Venetorum oppidum eſt, ſtagnis Adriatici maris fere circumdatum,*

tum , in Forojulienſi littore ad Celinam amnem ſitum ? Aut mendo typograghi , aut Noriſii lapſu *Celina* legitur pro *Żelina* , ut infra dicendum eſt . Imo Pauli Diaconi verba referens Eminentiſs. Auctor, *Maranum* ſcribit pro *Mariano* ; an Codicis quo utebatur fide , an minus attenta vocis inſpectione , an loci *ταυτότητος* perſuaſione , mihi non conſtat.

Hac de re litem nihil cogitans nactus ego ſum, & quidem ad publicum forum typis Mediolanenſibus deductam. Originem narro. Cum anno MDCCXXVI. menſe Novembri Mediolani eſſem , ibique Ambroſianam Bibliothecam ſumma Joſephi Antonii Saxii Præfecti humanitate exceptus conſpectarem , forte feliciſſima datum eſt , ut eo advenientem Virum eximium Joannem Gaſparem Berrettam agnoſcerem , illumque obſequio & obſervantia colere poſſem . Initum ſtatim colloquium , quod mihi oblectamento erat ac profectui , de pluribus quæ ad rem litterariam attinent, deque Italia medii ævi , de qua diſſertationem prelo parabat ſapientiſſimus Benedictinus. Tunc audire primum contigit , *Marianum* Pauli Diaconi non eſſe *Maranum* oppidum ad littus , ſed ipſum quærendum ad *Celinæ* fontem. Nova diſplicuit opinio , unde argumenta Viro doctiſſimo objectabam , ut fieri ſolet , quæ memoriæ , ac menti occurebant . Officioſæ diſputationis capita duo fuere : tum *Marianum* , Conciliabuli ſchiſmaticorum locum , querendum non eſſe juxta *Celinam* amnem: tum ipſum diſtingui non oportere a *Marano* ad littus.

Aliquot poſt menſes, jam cœpto anno MDCCXXVII. prodiit in lucem inſignis prædicta *de Italia medii*

ævi

avi diſſertatio chorografica , quam Venetias tranſmiſſam avidiſſime legere cœpi . Quæ de *Mariano* ſcripſerat Auctor, attentiori mente conſiderabam, ut novæ ſententiæ argumenta probe intelligerem . Levia mihi videbantur, candide fateor, atque propoſitæ rei conficiendę parum apta. Obviæ occurrebant oppoſitę rationes, quas privatis epiſtolis Clariſſimo Saxio exhibui. Vidit eas doctiſſimus Benedictinus : eaſque refellere voluit in ſcheda primum ad me tranſmiſſa , deinde in *Mantiſſa Emendationum , & Additionum*, quę cum Belli diplomatici hiſtoria, aliiſque Reſponſis ad cenſuras Anonymorum edita eſt Mediolani anno MDCCXXIX.

Lis ergo ad forum deducta eſt : cauſam agere non detrecto. Urget ille primum in Differt. num.77. conſtantiſſimam lectionem , *in Mariano*. „ Hæc habe„ tur, inquit, in hiſtoria Langobardica Pauli, quam „ edidit Fridericus Lindembrogius; & in Additamen„ tis ad Eutropium. *Marianum* habet ſcriptor Ano„ nymus in Vitis Patriarcharum Aquilejenſium in„ ter Cl. Muratorii Anecdota Tom. 4. Et *Marianum* „ exhibent codices omnes adhibiti & collati in edi„ tione Pauli Tom. 1. Script. Rer. Italic.„ Tum ipſi doctiſſimo Viro in Ambroſiana Bibliotheca, tum datis ad Saxium litteris , reponebam : *Marianum* dici molliori pronunciatione , aut politiori ſermone : ſed inde confici non poſſe, *Marianum* non eſſe hodiernum *Maranum*. Reſpondet ille in Mantiſſa num. 11. *Ergo rudiori & barbaro ſermone Maranum , nonne ? Cur non ita in antiquis Codicibus adhuc MSS. legitur ? Sereniſſimus Dandulus , qui ſcribebat Seculo XIV. quo non-*

nondum typograghia adinventa , ſane uſus eſt Codice barbaro MS. Tunc ſermo rudis , & impolitus . Cur ſcribit facta eſt Synodus X. Epiſcoporum in Mariano ? Marianum itaque dictum antiquitus , non Maranum. Lubens fateor, *Marianum* dictum antiquitus . Probandum eſt Scriptori Mediolanenſi , *Marianum* antiquitus dictum illud idem non eſſe Oppidum , quod poſtea hodieque *Maranum* appellatur. Ultro conſentio , molliorem eſſe *Mariani* pronunciationem , ac *Marianum* dici politiori ſermone. Oſtendendum eſt , elegantius idem nomen , quod ſono vocis delicatiori profertur , in codicibus barbaris , aut ęvo barbaro ſcriptis adhiberi non potuiſſe. *Marianum* ſcripſit Paulus Diaconus, eamdemque vocem Pauli hiſtoriam deflorans retinuit Dandulus. An vero novum eſt, *paulatim vulgo permutante literas* , ut ait Seneca , aut adjiciente, aut detrahente, dici poſtea potuiſſe *Maranum?* Frequentiſſima cuique nota ſunt exempla. Pauca ſubjicio, quæ ad urbes pertinent Aquilejenſis Provincię . Olim *Acilium* vel *Acilum* , poſtea *Aſilum* , *Aſulum*, & *Azulum* dictum eſt , Viro doctiſſimo, quorum agimus, ultro fatente. *Sabio* latinis : Incolis modo *Saben* aut *Seben*. Legimus *Emoniam*, & *Emonam*. Codex alter *Patavinam* Eccleſiam exhibet, alter *Patavienſem*. Cur non etiam *Marianum* Pauli fuerit Jota uno detracto *Maranum ?* Sed unum , eumdemque locum in monumentis vetuſtis aliquando *Maranum* , frequentius *Marianum* ſcribi, infra oſtendendum eſt.

Cum legerit ille apud Noriſium , *Marianum* , ubi ſchiſmaticorum conciliabulum habitum fuit , *ad Celinam amnem* ſitum eſſe , ita ſcribere pergit in Diſſert.

„ Id

„ Id ſane (*Marianum*) medii ævi nomen : antiqui-
„ tus *Celina* Plinio.... Quid modo, & ubi *Celina* ?
„ Reſpondent Lexicographi. In ejus ruinis ineſt vi-
„ cus *Maniacus* (Popularibus *Maniago*) prope Op-
„ pidulum *M. Regalis* ad fluvium *Celina* etiam di-
„ ctum.... Igitur *Mariani*, olim *Celina*, nunc *Ma-*
„ *niaci* conciliabulum ſchiſmaticorum coactum. „ Re-
poſueram ego : in Forojulienſi regione amnes duos di-
ſtinguendos ; unum dictum *Celinam*, ubi Maniacum ;
alterum *Zelinam*, ubi extat Maranum. Ita quidem
ſe res habet, ut norunt Forojulienſes omnes docti,
indoctique: remque uti eſt, veriſſime deſcribit Henri-
cus Palladius. De *Maniaco*, & amne *Celina* ait ille
Lib. 1. Rer. Forojul. pag. 11. *Hic jungitur Mania-
cum, Celina Plinii, cujus memoriam ſaxa ibi effoſſa
diutius retinuere. Infra Maniacum Mons-Realis. Inter
utrumque Celina fluvius ad Zimuliam ortus*. De *Ma-
rano* vero, quod ipſe *Marianum* vocat, ac fluvio *Zeli-
na* ſic habet ibidem pag. 16. & 17. *Ab Aquileja praaltis
Amphora ripis, & ad perpendiculum directis in mare
labitur.... Poſt hunc Alſa fluvius ... Ad fauces Al-
ſa Serviana eſt inſula. Ab hac Zelina parvus amnis
ex paluſtribus circa Caſtilonium aquis originem trahens...
ſequitur Mutianus, & Tornianus, qui uno oſtio in pa-
ludem decidunt... Mutiani, Zelinaque mediam litto-
ris crepidinem tenet Marianum, vetuſtum Provinciæ
Oppidum, & Concilio contra Severum Patriarcham
ſcriptoribus inclytum .... Ultimus ordine eorum, qui
Marianam paludem ingrediuntur, Stella fluvius eſt*.
Tabulæ Topographicæ loco diligentiſſimam Palladii
deſcriptionem legendam ſcriptori Mediolanenſi propo-
ſue-

ſueram. Admonebam, non a Paulo Diacono, non a Duce Dandulo, non a veteri ſcriptore *Marianum* dici *ad Celinam amnem* ſitum. Id in Noriſio legimus, aut certe mendo typorum, aut ſine dubio Auctoris lapſu; cum *Maranum Stagnis Adriatici maris*, ut ſcribit ille, *fere circumdatum in Forojulienſi littore*, ad *Zelinam* amnem poſitum, vel potius Mucianum inter, & Zelinam in media littoris crepidine jaceat. Unde colligebam, ſine cauſa *Marianum* quæri juxta *Celinam* a ſcriptore Benedictino, ubi numquam inveniri poterit.

Quod habet in Mantiſſa reſponſum, profero. *Video*, inquit, *in Tabula Magini, Maranum eſſe inter Muſonellam, & Nujarum: nulla Celina, vel Zelina ibi picta*. An diligentiſſimæ Provinciæ Forojulienſis. urbium, locorum, fluviorumque deſcriptioni a peritiſſimo Viro Palladio expoſitæ Magini Tabulam præferat rerum ęquiſſimus æſtimator Benedictinus? De *Marani* ſitu agitur, Popularibus cunctis notiſſimo, prout a Palladio deſcribitur, quem tabulæ nullæ Geographorum mutare poſſunt. Miratio imo ſubit, *nullam Celinam, vel Zelinam ibi* (in Tabulis Magini) *pictam* dici. An tabulas viderit editionis Venetæ 1596. & 1598. In his e converſio *Zelina* picta eſt; *Nujarus* amnis non viſitur. Res ita ſe habet. Ultra Zelinam Aquilejam verſus ad Orientem *Nujarum* pagus occurrit, incolis *Nojan*, labiturque prope fluentum, quod *Alſa* fluvio incrementum addit, ac uno cum Alſa decidit oſtio in paludem. A vicino pago *Nujarus* appellatur: ſed etiam varios ob alvei flexus *Cornu* dici ſolet. Hunc teneat amnem Scriptor Mediolanenſis,

quem

quem in ſuis Magini Tabulis pictum videt: ſed neque *Zelinam* inficietur, ſine dubio in agro Maranenſi fluentem, quam aliæ repręſentant ejuſdem Geographi aliorumque Tabulę. Affero tandem vetuſtum documentum quo ſitus idem *Marani ad Zelinam* confirmatur. Inſtrumentum extat in Tabulario Eccleſię Aquilejenſis, quod *actum* dicitur *in Palude de Caſtello, Anno Domini MCCXXXIX. Indictione XII. die XVI. exeunte Januario*. Hæc in eo leguntur verba: *Item vero Arbitri ſæpe dicti eidem Domino Artuico dederunt quandam quantitatem paludis de Caſtellono* (Caſtilonium vocat Palladius) *pertinentem ad Capitulum, ſcilicet a Scluſa* (locus eſt ubi concluduntur aquæ) *veteris Zelinæ uſque ad Levatam* (aggerem) *per quam itur Marianum, recta linea verſus Occidentem*. Chartam debeo Illuſtriſs. Domino Franciſco Florio, Aquilejenſis Eccleſię Presbytero Canonico, & Theologo. Hoc habet loco ſcriptor Mediolanenſis *Marianum ad Zelinam*: jamque diſcere incipiat, *Marianum* idem eſſe cum Oppido *Marano*.

Quę cum ita ſint, in auras abit concluſio, quam idem ſcriptor colligebat: *Igitur*, inquiens, *Mariani, olim Celinæ, nunc Maniaci conciliabulum ſchiſmaticorum coactum*. Quis non mirabitur *Marianum* vetus, tot licet permutatio litterarum fieri debeat, hodiernum *Maniacum* ab Adverſario noſtro dici, qui tam ęgre fert, in *Maranum* unius duntaxat jota detractione commutari? Ita quidem conjiciebat ille lapſu Noriſii deceptus, qui *Maranum* aut *Marianum* ad *Celinam* amnem collocat. Errorem notum fecimus, compertumque; unde ſignum non habet ſcriptor Mediolanen-

nenſis , quo permotus juxta *Celinam* inveſtiget *Marianum* : ſed illi ſplendidiſſimm preſto eſt argumentum , quo *Marianum* idem ab Oppido *Celina* Plinii, & hodierno *Maniaco* diſtinguat.

Hæc inſuper in Differt. Chorograph. habet illle: „ „ *Marianum* recenſet inter Urbes Provinciæ Aquile- „ jenſis Eccleſiaſticæ Carolus a S. Paulo in Geogr. „ Sacr. annuente Holſtenio hac nota : *Paulus Dia-* „ *conus Lib. 3. cap. 27. Ad ſiniſtram Zelinæ fl.* „ Cum vero Marianenſis Epiſcopi nuſpiam in Synodis Aquilejenſibus appareat ſubſcriptio, concludit ille : Clariſſimum, qui dicitur Epiſcopus *S. Eccleſiæ Celicanæ*, ſeu ut Noriſius emendat, *Celinanæ*, dicendum ejus loci Antiſtitem, qui Plinio *Celina* dicitur, *Maniacum* hodie, ævo medio *Marianum* . Quid non excogitat humana mens, ut ſententiam, quæ ſemel placuerit, tueatur? *Mariani* vocem, quam adhibet Carolus a S. Paulo, negotium faceſſere nullum, ſatis oſtendimus: id enim quæritur, an *Marianum* antiquitus dictum a *Marano* diſtingui debeat. Sane non diſtinguit Sacer Geographus, cujus auctoritas objicitur. Verba ejus ſunt : *Marianum, Oppidum in Inſula, quæ eſt ad ſiniſtram Zelinæ amnis.* (*Paulo Diacono Lib. 3. cap. 27.*) *Donatus Epiſcopus Marianenſis ſubſcripſit Concilio Lateranenſi ſub Martino Papa I.* An *Marianum*, quod eſt Oppidum in Inſula, fuerit ad Celinæ fontem, ubi *Maniacum?* Illud idem eſt ac *Maranum* in littore Forojulienſi, & quidem ad ſiniſtram Zelinæ amnis.

Ad Marianenſem Epiſcopatum quod attinet, negabam in epiſtolis ad Saxium datis, in Aquilejenſi Provincia extitiſſe : neque id ajebam evinci poſſe ex

Do-

Donato Epiſcopo Marianenſi, qui Lateranenſi Concilio ſubſcripſit ſub Martino Papa ; cum is fuerit *Marianæ in Inſula Corſica* Antiſtes, modo ſub Genuenſi Metropolita. Quid ad hæc Benedictinus in Mantiſſa? Ait ille : *Negat* (ego ipſe negabam) *Marianum habuiſſe Epiſcopum Aquilejenſis ſuffraganeum : at unde Carolus a S. Paulo, annuente Holſtenio, ipſum hauſit?* Unde illum hauſerit ? Fontem, quem credidit, aperit ipſe. Laudat Diaconum hiſtoricum, qui Synodum *in Mariano* celebratam ſcribit; ac *Donatum* profert *Epiſcopum Marianenſem* ; ac inde colligi poſſe putavit, *Mariani* aliquando ſediſſe Epiſcopum, Aquilejenſis Metropolitæ ſuffraganeum Nominari *Marianum* a Paulo, ubi ſchiſmaticorum Synodus habita eſt, repoſueram ego, nullum ejus loci Epiſcopum indicari : illumque *Donatum* ſedem habuiſſe, non *Mariani* in Venetia, ſed *Marianæ* in Corſica. Cum ergo fundamenta labantur, quibus Epiſcopatum *Marianenſem* in Venetia ſuperſtruxerat Carolus a S. Paulo, & ipſum quoque cadere Epiſcopatum, cujus alibi veſtigium nullum, legitima conſecutio eſt.

Neque præbent idoneum munimen, quæ ſubjicit verba Adverſarius : *Ut oſtendat*, (quam ego rationem adduxeram, convellere nititur) *Marianum Venetia caruiſſe Epiſcopo, ſubdit, Donatum Marianenſem ſubſcriptum in Concilio Lateranenſi ſub Martino I. Epiſcopum fuiſſe Marianæ in Corſica : Id ſcio, ipſumque video ſcriptum inter Epiſcopos, Piſanum, & Alerinum apud Labbeum, de quo & Ughellius Tom. 4. Verum ad quid hac?* Ad quid ? Ut pateat nempe, erraſſe Carolum a S. Paulo, qui *Marianenſem* in Venetia

Epi-

Epiſcopatum numerat, quod in Conciliis ſubſcriptum legerit *Donatum Marianenſem*: eodemque errore captum eſſe Mediolanenſem Adverſarium, qui cum laudato ſacræ Geographiæ ſcriptore *Marianum* Venetię credidit Epiſcopalem Aquilejenſis Provinciæ urbem. Sed ait ille: *Is ne alterum inhibet, alteriuſque nominis?* Nemo eſt, qui plurium, ac diverſarum urbium cognomines Epiſcopos inficietur. Inficior ego, *Donatum Marianenſem Epiſcopum, qui ſubſcripſit Concilio Lateranenſi ſub Martino*, ad *Marianum* Venetiæ pertinere, ut præcipiti fide credidit Carolus a S.Paulo. Qua in re aſſentientem cum habeam Mediolanenſem ſcriptorem, ab ipſo jam quæro, ut alium *Mariani* Veneti *Donatum* Epiſcopum proferat.

Sin minus *Donatum*, alium putat ſe reperiſſe *Mariani* Veneti Epiſcopum. Cum in Synodo Gradenſi dicta legerit apud Ughellium & Noriſium, *Clariſſimum* ſubſcribi *Celicanæ*, ſeu ut emendat Noriſius, *Celinanæ Eccleſiæ* Præſulem, *exinde*, inquit in Diſſert. *obſervamus, deeſſe ſubſcriptionem Epiſcopi Marianenſis. Nullum ergo Marianum, vel non loco Celinæ ſuſfectum?... Imo deficiente Marianenſi Epiſcopo ſequitur, hunc eumdem fuiſſe ac Celinanum; cum urbs Seculo VI. Celina, & VIII. quo Paulus ſcribebat, vulgo Marianum appellaretur*. Jam dicta repetere piget. Hæc ajenti ſcriptori Mediolanenſi repugnat Noriſius, qui cenſet, Epiſcopum Concordienſem, ejus urbe ab Atila deſtructa, *Celinam* ſe contuliſſe, dictumque a novo loco *Celinanum*. Sed errat etiam Noriſius; cum Clariſſimus dici debeat Epiſcopus *Concordienſis*: & alius diſtinguatur Joannes S. Eccleſiæ, non *Celi-*

cana, nec *Celinana*, ſed *Celejana* Epiſcopus, ut capite 11. oſtendimus, fide adhibita Synodi Mantuanę, Chronici Gradenſis, Chronici Danduli editionis Mediolanenſis, ipſiuſque vitioſi codicis apud Ughellium.

Hæc ut puto, ſatis evincunt, nihil a Mediolanenſi ſcriptore productum eſſe, quo *Marianum* Pauli Diaconi a *Marano* hodierno diſtingui debeat. An idem fuerit locus, utroque nomine appellatus, poſituſque ad littus Adriaticum in Provincia Forojulienſi, dubium fortaſſe videri poteſt nondum ſatis explanatum. Obſtare primo videtur, quod *Marianum* codices omnes habent, non *Maranum*: quod etiam ſchiſmaticis non adeo tutum eſſet Oppidum *Maranum*, ubi ſub oculos catholicorum, & Exarchi Synodum celebrarent, cogerentque Severum Metropolitam damnationem capitulorum Ravennæ firmatam repudiare. Unde concludit Benedictinus in Mantiſſa: *Illuc* (Maniacum) *ſe contuliſſe ſchiſmaticos decem Epiſcopos illos, probabilius ſemper cenſebo, ut ad remotiorem a frequentia catholicorum receſſum*.

Primæ ut faciam difficultati ſatis, vetuſta monumenta objicio, in quibus Oppidum, quo de agimus, ad littus Adriaticum ſitum, poſitumque ad amnem Zelinam, tum *Maranum* aliquando, tum frequentius *Marianum* appellatur; ut omnino concludi debeat, *Marianum* idem eſſe, ac *Maranum*. Primum affero donationis a Patriarcha Poppone Capitulo Aquilejenſi factæ monumentum, quod extat apud Ughellium Tom. 5. pag. 52. edit. Ven. actumque dicitur *Anno Dominica Incarnationis MXXXI. Indict. XIV. tertio*

idus

idus Julii. Hæc in eo leguntur verba: *Villam de Caſtellone .... Villam etiam de Mariano, & Villam de Carlinis, & Villam S. Georgi cum omnibus redditibus, una cum omnibus finibus, & pertinentiis ſuis ..... perpetualiter habendas conceſſi*. Ecce *Marianum* legis, quod eſt *Maranum*, tot aliis circumjacentibus pagis definitum. Neque putes typographiæ mendum eſſe: nam *Marianum* quoque legi in Authentico Mſ. exemplari, certiorem me fecit humaniſſimus Florius jam memoratus. Poſſeſſiones ac prædia eidem Capitulo Apoſtolica auctoritate confirmat Alexander III. in Privilegio, quod ipſe deſcribit Ughellius pag. 70. dato *Anagni, Nonis Julii, Indictione nona, Incarnationis Dominicæ anno MCLXXVI.* ubi pariter legimus: *Villam etiam de Mariano, & Villam de Carlinis, & Villam S. Georgii, & Villam de Mutiana*. Apud eumdem pag. 67. ſimile extat diploma Friderici I. Imperat. *Anno Dominicæ Incarnationis MCLXXVII. Indictione decima*; in eoque habemus: *Villam de Manario, & de Carlinis, & Villam de Mutiana, & Villam S. Georgii*; ubi *De Mariano* legendum eſſe, cuique patet, ac monet Florius. Ævo barbaro hæc inſtrumenta data fuere, quæ conſtanter *Marianum* exhibent, ipſiſſimum Oppidum, quod hodie *Maranum* appellamus.

Innumeras id generis chartas in Aquilejenſi Tabulario extare, admonerunt humaniſſimi Viri, laudatus Florius, & Comes Franciſcus Beretta, Patricii Utinenſes, bonis muſis addicti, in quibus frequentius *Marianum* occurrit, aliquando *Maranum*. Inſtrumentum profero ſuperius ex parte deſcriptum,

 actum

factum in Palude de Caſtello, Anno MCCXXXIX. Ind. dict. XII. Die XVI. Exeunt. Jan. Bis *Marianum* legitur : *Zelina* parvus amnis bis occurrit : ſituſque *Mariani* hodierni aperte deſcribitur. Verba hæc ſunt : *Inprimis praeceperunt Domino Artuico praedicto ſub pœna centum Marcharum denariorum Aquilegienſis moneta, quod omnia prata, quæ ſunt juxta levatam, per quam itur de Caſtello Marianum, verſus Occidentem ſita &c.... Quod omnia, quæ de novo extirpata erant ab hominibus de Caſtello, ſive a ſuis, juxta aquam Zilinæ verſus Occidentem &c.... Item vero Arbitri ſæpe dicti eidem Domino Artuico dederunt quandam quantitatem paludis de Caſtello pertinentem ad Capitulum, ſcilicet a ſcluſa veteris Zilinæ uſque ad levatam, per quam itur Marianum, recta linea verſus Occidentem.* Marianum habes. Sed alia quoque extant inſtrumenta, ad prædictum Artuicum ſpectantia; anno MCCL. ſignata, in quibus expenſæ notantur, quæ fieri debuerunt, ut *Maranum* (ſine jota) Venetis occupantibus eriperetur: ac eadem inſuper *Terra Marani* Patriarchæ conceſſa legitur. *Marianum* legimus in chartis anni MCCLVI. & MCCLXII. ſed aliæ occurrunt anno MCCXC. ſcriptę, ubi *Plebs Marani* dicitur, *Terra Marani*, *Terra & plebs Marani*. Satis hæc ſunt ſuperque, ut de *Mariani* voce non adeo ſibi plaudat ſcriptor Mediolanenſis : ac denique diſcat, locum eumdem, ad littus Adriaticum, & Zelinam amnem, utroque nomine, *Marianum* & *Maranum* dictum eſſe.

Locum eumdem ſchiſmaticorum ſecuritati minus commodum fuiſſe, poſtremum eſt argumentum. Nihil

hil eis timendum fuiſſe cenſeo. Jam enim Mauricius Imperator, adhuc Elia Metropolita vitam agente, imperaverat, ne quid ageretur contra Iſtrios, Venetoſque Epiſcopos, trium Capitulorum defenſores. Imperatoris mandata inſuper habuit Smaragdus Exarchus, qui Ravennam traxit Severum Eliæ ſucceſſorem: at ille Synodi Marianenſis tempore, jam Conſtantinopolim evocatus perrexerat. Datus illi Succeſſor Romanus, pace ſua fruentes reliquit ſchiſmaticos, nihil intentare contra ipſos voluit, animumque geſſit à Magno Gregorio Pontifice alienum. Imo tandem locus aptior non erat, quam *Marianum* aut *Maranum*, Synodo celebrandæ, cui intereſſe debebant non ſolum Venetiæ Epiſcopi, ſed ipſe Metropolita Severus, qui redierat in Inſulam Gradum, & Iſtriæ Epiſcopi comites ejus. Communi ergo & vulgatæ hæreo perſuaſioni, quæ ſchiſmaticorum Conciliabulum coactum credit *Marani* in Provincia Forojulienſi ad littus Adriaticum.

CAPUT XIII.

Severum vocat Romam Gregorius Magnus ad Synodum. Joannes Diaconus emendatur. Tres ad Mauricium contra Pontificem libellos mittunt Severus ipſe, Iſtriæ Epiſcopi, aliique Venetiarum, & Rhætiæ. Favet eiſdem Imperator, datis ad Gregorium Pontificem, & Romanum Patricium reſcriptis.

DEfuncto Pelagio II. initio anni DXC. Magnus Gregorius in Romanum Pontificem eligitur: qui cum pro ſumma reluctaretur modeſtia, ac Imperatoris conſenſus expectandus foret, non ante Septembrem menſem ordinatus eſt. Sciſſuram Eccleſiarum Venetiæ, ac Iſtriæ ægerrimo ferebat animo. Errantes oves ut ad ovile reduceret, Metropolitam Severum ad multorum perniciem relapſum affectu paterno, adjuncta Imperatoris Juſſione, ad pacem invitat, ſimulque ad Synodum Romæ celebrandam. Data ad ipſum epiſtola, quæ habetur Lib. I. Indict. IX. num. 16. inſcribitur *Severo Epiſcopo Aquilejenſi*. An ſcripta fuerit cadente anno DXC. an incepto anno ſequente, non conſtat. De relapſu ejus primum queritur Sanctiſſimus Pontifex; ait deinde: *juxta Chriſtianiſſimi, & Sereniſſimi rerum Domini* (Mauricii Imperatoris) *juſſionem, ad Beati Petri Apoſtoli limina, cum tuis ſequacibus venire te volumus; ut auctore Deo,* ag-

aggregata Synodo, de ea quæ inter nos vertitur dubietate, judicetur. Prædictam juſſionem acceperat ab Imperatore Gregorius, cum pro ſua ad regimen Eccleſiæ electione conſenſum ejuſdem obtinuit.

Hac recenſita S. Pontificis epiſtola, ſic ait Joannes Diaconus in ejus Vita Lib. 4. num. 38. *At Severus, Apoſtolica ſimul, imperialique juſſione coactus, imminente Smaragdo Exarcho, ſimulque Antonino Eccleſiæ Romanæ defenſore, Ravennam perducitur. Ubi veritus cum Gregorio Synodalem ſubire conflictum, ad unitatem ſanctæ univerſalis Eccleſiæ, mediante Joanne Ravennate Pontifice, remeavit. Sed cum poſt anni ſpatium ad propria rediiſſet, ab aliis ſchiſmaticis perſuaſus, non ſolum ad priſtinum vomitum rediit: verum etiam Mauricii Deo ſemper adverſi juſſione ſurrepta, qua jubebatur ut ſchiſmatici redire ad unitatem Eccleſiæ minime cogerentur, reliquis Epiſcopis Eccleſiæ ſe jungentibus, maximas ſeditiones conflabat*. Tempora, & hiſtoriæ facta confundit Joannes. Conſtantinopolim jam redierat Smaragdus anno DLXXXVIII. ejuſque ante diſceſſum Ravennam tractus fuerat Severus. Antoninus, quem Antonium vocat Paulus Diaconus, Aquilejenſis, non Romanæ Eccleſiæ defenſor erat: iſque cum eodem Severo, ac tribus Iſtriæ Epiſcopis ad Urbem Exarchi perductus fuit. Non erat Severo timendum, *cum Gregorio Synodalem ſubire conflictum*; nondum enim Romanam regebat ille Eccleſiam; ac Pontifex creatus Metropolitam ſchiſmaticum *ad Beati Petri Apoſtoli limina*, non Ravennam, invitavit ad Synodum. Redierat ille *ad priſtinum vomitum* ante Gregorii Pontificatum: unde Sanctiſſimus Pontifex in citata epiſtola de relapſu ejus dolens: *Quantum in-*

Corporatum, ait, *te jampridem* (temporis notam expende) *fuiſſe in unitate Eccleſiæ, gaviſi fueramus: abundantius nunc diſſociatum a catholica ſocietate, confundimur*. Quæ demum refert de *Mauricii juſſione ſurrepta*, poſt datam à Gregorio epiſtolam, peracta ſunt.

Rem deſcribunt accuratiſſime ſchiſmatici Aquilejenſes in libello ad Mauricium tranſmiſſo, de quo mox dicendum eſt. Referunt, quæ Smaragdus contra Severum egit, & ajunt: *in hoc tempore iterum cognovimus, Reverendum Papam Gregorium ad ejuſdem Patris noſtri* (Severi) *exhibitionem miſiſſe cum ſacratiſſima veſtra pietatis juſſione, ut pro cauſa ipſa communionis ad Romanam deberet civitatem deduci*. Hæc eadem ſunt, quæ ſua ſcripſerat in epiſtola Gregorius.

Venetiarum, & Rhętię ſecundę Epiſcopi, de mandatis Gregorii, ac Mauricii juſſione certiores facti, Severo ſignificarunt, ne quid, abſentibus illis, de communi cauſa Eccleſiæ definiret. Verba eorum temeritate plena ſunt: *Quod audientes, quamvis certi eſſemus, talem juſſionem Domini noſtri ſpecialiter adverſariorum improba importunitate ſubreptam, contabuimus, & contriti, atque luctu graviſſimo ſauciati ad ultimam deſperationem pervenimus, ut ad illius judicium Metropolita noſter cogeretur accurrere, cum quo cauſa ipſa eſſe dignoſcitur: & cujus communionem ab initio motionis cauſa hujus uſque nunc, Deceſſores noſtri & nos cum omni populo evitamus. Et quidem memoratum Beatiſſimum Archiepiſcopum noſtrum frequenti conteſtatione convenimus, ne nobis abſentibus, & a ſe ad præſens diviſis, de communi cauſa Eccleſiæ aliquid audeat definire*.

Id

Id vero tandem conſilii captum ; tranſmitti ad Mauricium oportere ſupplices libellos a Severo, ac Iſtriæ Epiſcopis, cæteriſque Venetiarum & Rhætię, ut ſibi gratiam Auguſti conciliarent, Gregorii ſollicitudinem eluderent, ac Romanum Exarchum propitium haberent. Favit illis Mauricius, cujus Reſcriptum extat apud Baronium, & Conciliorum Collectores, datum *Gregorio Viro Sanctiſſimo ; & Beatiſſimo Archiepiſcopo almæ urbis Romæ, ac Papæ.*

Quæ narravimus, ex eodem reſcripto abunde confirmantur. Diſcimus enim 1. *Epiſcopos Iſtrienſium Provinciarum per Clericos* (Imperatori) *ſuggeſtiones tranſmiſiſſe* 2. Unam *Epiſcoporum Civitatum & Caſtrorum, quæ Longobardi tenere dignoſcuntur* 3. Aliam *Severi Aquilejenſis Epiſcopi, aliorumque Epiſcoporum, qui cum illo ſunt* 4. Tertiam *ſolius ejuſdem Severi* 5. *Milites tranſmiſſos* (a Gregorio, ut ſchiſmatici referebant) *cum uno Tribuno, & Excubitore, neceſſitatem imponentes præfato Reverentiſſimo Severo & Epiſcopis, ut* (ad ipſum Gregorium) *pervenirent* 6. Preces ab eiſdem oblatas, *ut induciæ ad hoc ſibi fierent*: ac facultas daretur, *quod tempore opportuno ad ſacratiſſimam* (Conſtantinopoleos) *urbem accedentes, per ſeipſos* (Imperatori) *ſuggererent, quæ ſibi obſtare videntur* 7. *Præſenti rerum Italiæ confuſione* permotum Mauricium Gregorio ſignificaſſe, ut *nullam moleſtiam eiſdem Epiſcopis inferret*; eoſque *concederet otioſos eſſe, quouſque providentia Dei partes Italiæ pacales conſtituantur*; & *cæteri Epiſcopi Iſtriæ, ſeu Venetiarum iterum ad priſtinum ordinem redigantur.*

Libelli duo perierunt Severi, & Epiſcoporum Iſtriæ: alius extat a Venetis Rhætiſque datus, quem a Fabro

bro acceptum edidit Baronius, & ex Sirmondi Schedis Harduinus. Titulus ejus eſt : *Suggerendum Domino noſtro Clementiſſimo, ac piiſſimo D. Mauricio Tiberio; humiles Venetiarum, vel ſecunda Rhatia, Ingenuinus, Maxentius, Agnellus, Fontejus, Laurentius, Agnellus, Felix, Auguſtus, Junior, & Horontius, Epiſcopi*. Deeſt primus *Agnellus* apud Baronium. Ita vero ſubſcribunt : *Ingenuinus Epiſcopus ſancta Eccleſia ſecunda Rhatia hanc relationem a nobis factam ſubſcripſi, Maxentius Epiſcopus S. Eccleſia Julienſis, ut ſupra. Laurentius Epiſcopus S. Eccleſia catholica Bellunata, ut ſupra. Auguſtus Epiſcopus S. catholica Concordienſis Eccleſia, ut ſupra. Agnellus Epiſcopus S. Tre:entina Eccleſia, ut ſupra. Agnellus Epiſcopus S. Acelina Eccleſia, ut ſupra. Junior Epiſcopus S. Eccleſia catholica Veronenſis, ut ſupra. Fontejus Epiſcopus S. Feltrina Eccleſia, ut ſupra. Felix Epiſcopus S. Terviſiana Eccleſia, ut ſupra. Horontius Epiſcopus S. catholica Eccleſia Vicentinę, ut ſupra*. Novem ſubſcriptiones numerantur apud Baronium : deeſt enim *Agnellus S. Eccleſia Acelina*. Agnellum alterum, qui dicitur Epiſcopus *S. Eccleſia Trejentinę*, appellat Baronius idem in margine *Parentina* Eccleſię Antiſtitem. Error eſt, cum ſubſcribentes in titulo dicantur, *Venetiarum vel Rhętię ſecundę* Epiſcopi; *Parentium* autem ad Iſtriam pertineat. Legendum ergo, *Tridentinę Eccleſię*, cujus Antiſtitem, nomine *Agnellum*, ſubſcriptum legimus in Synodo Gradenſi, & Mariana. *Ruſtico* Tarviſino, & *Clariſſimo* Concordienſi defunctis, *Felicem*, & *Auguſtum* ſubrogatos diſcimus.

Quo in loco decem prędicti Rhętię, & Venetiarum ſchiſmatici Epiſcopi congregati, libellum Mauricio

ricio dederint, non conſtat. Conſtat vero, labi Antonium Pagium, qui ad Annum DXC. num. 11. conventiculum iſtud cum Marianenſi conciliabulo confundit. Nota eſt utriuſque Synodi longe diverſa cauſa. Huic interfuit Maxentius Julienſis, qui Marianenſi non adfuit: & vice verſa Marianenſi adfuit Petrus de Altino, cujus in hac ſubſcriptio non apparet. Ad illam convenere Clariſſimus Concordienſis, & Ruſticus Tarviſinus, quibus non diu poſt defunctis, libello ſubſcribunt ſucceſſores Felix, & Auguſtus.

Totidem in hoc habentur libello, quot narrat Mauricius in ſuo Reſcripto. Ajunt enim ſchiſmatici: *Ergo, mitiſſime dominator, totius Concilii noſtræ parvitatis hac eſt deliberatio, ſicut & eidem Patri & Archiepiſcopo noſtro ſcripſimus, ut pro reddenda ratione communionis noſtræ, contrito Dei judicio jugo barbarico, opportuno tempore, ad veſtræ pietatis veſtigia occurramus... Sint induciæ, & cum juſtione ſacratiſsimi Imperii veſtri, parati erimus ad pedes veſtræ pietatis occurrere, & noſtræ fidei atque communionis plenam reddere rationem.*

Imperatoris benevolentiam ſibi conciliare ſatagunt, ſignificantes ipſi: *Quia tempore ordinationis noſtræ* (ut inquiunt) *unuſquiſque Sacerdos in Sancta Sede Aquilejenſi cautionem ſcriptis emittimus, ſtudio & fide Ordinatoris noſtri, nos fidem integram Sanctæ Reipublicæ ſervaturos: quod ipſe novit Dominus, nos fideliter toto corde ſervaſſe, & huc uſque jugiter ſervare.* Miſerum denique deſcribunt Aquilejenſis Provinciæ ſtatum, ac imminentem Metropoleos diſſolutionem: *Si conturbatio iſta*, inquientes, *& compulſio præſentibus*

juſſionibus veſtris remota non fuerit, ſi quem de nobis, qui nunc eſſe videmur, defungi contigerit, nullus plebium noſtrarum ad ordinationem Aquilejenſis Eccleſiæ poſt hoc patietur accedere. Sed quia Galliarum Archiepiſcopi vicini ſunt, ad ipſorum ſine dubio ordinationem accurrent, & diſſolvetur Metropolitana Aquilejenſis Eccleſia ſub veſtro Imperio conſtituta, per quam, Deo propitio, Eccleſias in gentibus poſſidetis. Quod ante annos jam fieri cœperat: & in tribus Eccleſiis noſtri Concilii, ideſt Beconenſi, Tiburnienſi, & Auguſtana Galliarum Epiſcopi conſtituerant Sacerdotes. Et niſi ejuſdem tunc divæ memoriæ Juſtiniani Principis juſſione commotio partium noſtrarum remota fuiſſet, pro noſtris iniquitatibus pene omnes Eccleſias ad Aquilejenſem Synodum pertinentes Galliarum Sacerdotes pervaſerant. Tiburnienſem Eccleſiam, cujus Præſulem Leonianum Synodo Gradenſi dictæ ſubſcriptum legimus, manifeſtat Eugippius in Vita S. Severini, qui Atilæ temporibus vitam agebat, apud Bolland. ad Diem 8. Januarii. Prædictionem a Viro Sancto factam Paulino de ejus in Epiſcopum electione refert Cap. 7. eamque ſic impletam narrat: *Eo remeante ad Patriam, ſermo in eo prædicentis impletus eſt: nam cives Tiburniæ, quæ eſt Metropolis Norici, coegerunt prædictum Virum ſummi Sacerdotii ſuſcipere principatum.* Plinius Lib. 3. Cap. 24. *Teurniam* vocat, quam plerique *Sancti Viti* Oppidum in Carinthia, alii *Villachum* ad Dravum, aliter alii interpretantur. *Auguſtana*, & *Beconenſis* ambigua interpretatio. Non *Auguſtam* in Vindelicis, ſed fortaſſe *Caſtra Auguſtana* in Norico intelligenda primum cenſebat Marcus Hanzifius Tom. I. Germaniæ Sacræ: verum non

iſta,

iſta, ſed illam priore ſententia revocata, intelligit in Corollariis: idemque ſentiunt Bollandus, aliique apud ipſum. Loco Eccleſiæ *Beconenſis* legit Baronius *Bremenſem*: legendum vero arbitratur Bollandus ad Diem 5. Februarii *Breonenſi*, ſeu *Breunenſi*, ſive *Brennenſi*; ac populos *Brennos*, ſeu *Breones*, qui utrumque Oeni fluvii latus incolebant, intelligendos eſſe, multa evincit eruditione: eorumque veſtigium adhuc haberi adnotat in monte, qui *Brenner* vulgo appellatur in Tyroli Oenum inter, & Atheſim.

Quæ fuerint a Francis occupatæ Juſtiniani tempore regiones, colligi poteſt ex Agathia. Narrat is. Lib. I. Theodoricum Gothorum Regem, *cum univerſa Italia potiretur, tributarios* (Alemannos) *feciſſe, totamque hanc gentem ſubegiſſe. Simulatque vero e vivis* (Theodoricus) *exceſſit, atrociſſimum bellum inter Juſtinianum Romanorum Imperatorem, & Gothos exarſiſſe. Tum Gothos Francis adulantes, eorumque amicitiam & benevolentiam ſibi conciliantes, e multis locis diſceſſiſſe, & Alemannicam gentem dimittere coactos eſſe: cogendas ſibi tum undequaque vires ſuas putantes, ut pro Italia certarent. Hoc denique modo Alemannorum nationem, a Gothis dimiſſam, in ſuam poteſtatem* (Francos) *redegiſſe*. Id accidit, Theodeberto Auſtraſiæ Rege, qui ab anno DXXXIV. regnum tenuit uſque ad annum DXLVII. Alemannis devictis domitiſque, Rhætiæ, Noricum, alięque Provinciæ ceſſerunt Francis. Theodeberto ſucceſſit Theodebaldus, qui *ſibi nullo negotio* (verba ſunt Procopii Lib. 4. de Bello Gothico cap. 24.) *tributaria fecit nonnulla Liguriæ loca, Alpes Cottias, agrique Veneti partem maximam*. His ergo temporibus, Galli Ar-

chie-

chiepiſcopi facultatem arripuerant in Eccleſias Provinciæ Aquilejenſis; in eiſque Sacerdotes, aut Epiſcopos conſtituerunt. Verebantur præterea ſchiſmatici, ne Rhætiarum, & Norici populi, ægre ferentes ſollicitudinem Apoſtolicam, qua redire cogebantur Aquilejenſes Epiſcopi ad unitatem Eccleſię, proprio relicto Metropolita, a vicinis Gallis Archiepiſcopis Sacerdotes poſtularent. Non erant illi ſchiſmatici: neminem tamen aut Synodum quintam recipere, aut tria damnare capitula compellebant, ut capite 1. adnotatum eſt.

Ex his, quę narravimus, nonnulla colligi poſſunt. Dignum eſt animadverſione: ſchiſmaticos omnes, qui *ſuggeſtiones* Imperatori Mauricio tranſmiſerunt, *Epiſcopos* dici in ejus Reſcripto *Iſtrienſium Provinciarum*. Hoc ſcilicet ęvo Venetia quoque vocabatur *Iſtria*: quod etiam nomen latiori prędicta ſignificatione adhibitum a Pelagio II. admonuimus Cap. 6. Non ſolum pręterea Gregorio Pontifici datum eſt a Mauricio reſcriptum, ne ulla ſchiſmaticis inferretur moleſtia, ſed etiam Romano Exarcho. Id ex epiſtola Gregorii diſcimus ad Joannem Ravennatem ſcripta, Indictione X. ideſt anno DXCII. quę Lib. 2. recenſetur num. 46. alias 32. Ait enim: *De cauſa vero Epiſcoporum Hiſtriæ*, (ſchiſmaticos omnes appellat Iſtrię Epiſcopos) *omnia quę mihi veſtra Fraternitas ſcripſit, ita eſſe jam deprehendi in iis juſſionibus, quę ad me a piiſſimis Principibus venerunt.... Movere autem vos non debet præfati Excellentiſſimi Viri Romani Patricii animoſitas: quia nos quanto eum loco & ordine pręimus, tanto ſi qua ſunt ejus levia, tolerare mature & graviter debemus*. Imperatoris namque juſſio-

ſione accepta, nedum operam, omnem pro ſchiſmate extinguendo negabat Romanus, ſed ipſum Romæ Pontificem offendere nihili faciebat. Colligitur demum, libellos a ſchiſmaticis anno DXCI. ad Mauricium tranſmiſſos eſſe; ejuſque Imperatoris Reſcripta anno inſequente ad Gregorium, & Romanum Exarchum perveniſſe.

CAPUT XIV.

Schiſmaticos inſequitur Gregorius. Scribunt iidem pro tribus Capitulis ad Pontificem. Gravem reddit ipſe epiſtolam. Hæc perperam inſcribitur ad Hiberniæ, aut Iberiæ Epiſcopos. Columbani epiſtola ad Bonifacium IV. expenditur.

SChiſmaticorum pervicaciam paſtoralis officii ſollicitudine vinci tandem poſſe, non diffidebat Gregorius. Imperatoriis mandatis minime perterritus, *de eadem re Sereniſſimis Dominis cum ſummo Zelo Dei, & libertate* ſe *reſcripturum*, Joanni Ravennati ſignificat in epiſtola citata. Nihil ille ab Auguſto obtinere potuit, vivente Romano Exarcho, qui demum ex hac vita migravit anno circiter DXCVIII. unde in epiſtola Sebaſtiano Epiſcopo data Indictione XIII. ideſt anno DXCV. quæ extat Lib. 5. num. 42. ſcripſerat Gregorius: *Malitiam* Romani *gladios Langobardorum viciſſe*.

Quod in ipſo tamen erat; perficiebat omne vigi-

lan-

lantiſſimus Paſtor, aut opportuna ſeveritate, aut humanitate promptiſſima, ut ſchiſmaticos aut frangeret, aut emolliret. Pro Severo Aquilejenſi flagitaverat a Gregorio ſubſidium eleemoſynæ Joannes Ravennas, quod ejus incenſa civitate, ipſe & cives ejus rerum inopia premebantur. Durius agendum cum Metropolita ſchiſmatico, ac hoſte infenſiſſimo, cenſuit Pontifex. Joanni reſpondit epiſt. cit. in hæc verba: *De hoc, quod dicitis, incenſa civitati Severi ſchiſmatici eleemoſynam eſſe mittendam, idcirco veſtra fraternitas ſentit, quia quæ contra nos præmia in Palatium mittat, ignorat. Quæ etſi non traſmitteret, nobis conſiderandum fuit, quia miſericordia prius fidelibus, ac poſtea Eccleſiæ hoſtibus eſt facienda.*

Ad ipſum Gregorium litteras mittere ſchiſmatici auſi ſunt, quibus diviſionem tueri, in qua ab unitate Eccleſiæ diſciſſi jacebant, pro viribus nitebantur. Gravem ſe pati perſecutionem expoſtulabant, ſed eam pati pro fide gloriabantur: addebantque, a tempore quintæ receptæ Synodi cum trium capitulorum proſcriptione, inter alias Provincias maxime flagellari Italiam. Similia jactaverant ipſi in libello ad Mauricium tranſmiſſo. Initio ſcribunt: *Nullo pondere preſſurarum ab integritate Catholicæ fidei ullo modo titubaſſe*. Ajunt etiam in calce: *Suſpicionem dari evidenter, chriſtianis* (ita ſe vocant) *fieri perſecutionem*. Vetus hæc erat eorum querela, quam Pelagius I. compreſſit in fragmento epiſtolæ ad Narſetem apud Labbeum num. 3. *Non vos hominum*, inquiens, *vaniloquia retardent dicentium, quia perſecutionem Eccleſia faciat*.

Grave reſponſum dedit Pontifex, quod eſt epiſtola,

In-

Indictione X. ſignata Lib. 2. num. 51 . Sic ille epiſtolam orditur : *Scripta veſtra ſumma cum gratulatione ſuſcepi : ſed erit in me uberior valde lætitia , ſi mihi de veſtra contigerit reverſione gaudere*. Sine cauſa , reponit, de perſecutione , quam pati jactabant, ipſos gloriari ; *quia perſecutio, dum non rationabiliter ſuſtinetur, nequaquam proficit ad ſalutem*. Sed etiam temere ac falſo perſecutioni obtendi ab illis fidem, oſtendit quoniam *in Synodo , in qua de tribus capitulis actum eſt, aperte liquet, nihil de fide convulſum eſſe , vel aliquatenus immutatum : ſed de quibuſdam illic ſolummodo perſonis eſt actitatum ; quarum una,* (Theodorus Mopveſtenus) *cujus ſcripta evidenter a rectitudine catholicæ fidei deviabant , non injuſte damnata eſt*.

Quod ſcripſerant ſchiſmatici, ex illo tempore, quo Synodus quinta cum damnatione capitulorum recepta eſt , Italiam maxime barbarorum flagello conteri ; *non hoc*, inquit, *ad ejus debet intorqueri opprobrium, quoniam ſcriptum eſt :* (ad Hebr. cap. 12. ℣. 6.) *Quem diligit Dominus, caſtigat: flagellat autem omnem filium , quem recipit*. Sed oppido futilem , vanam, temeramque eorum conſecutionem his verbis probat: *Poſtquam recordandæ memoriæ Vigilius Papa in Urbe Regia* (Conſtantinopoli) *conſtitutus contra Theodoram tunc Auguſtam* (Juſtiniani uxorem) *vel Acephalos damnationis promulgavit ſententiam ;* (damnaverat ſcilicet Vigilius Theodorum Cæſareenſem Epiſcopum cum ſuis Acephalis, quibus damnatis & ipſa quoque damnata dicitur Theodora Auguſta, quæ partibus eorum impenſe favebat:) *tunc Romana urbs ab hoſtibus* (Gothis) *adita & captivata eſt. Ergo bonam*

 cau-

bro acceptum edidit Baronius, & ex Sirmondi Schedis Harduinus. Titulus ejus eſt: *Suggerendum Domino noſtro Clementiſſimo, ac piiſſimo D. Mauricio Tiberio; humiles Venetiarum, vel ſecundæ Rhætiæ, Ingenuinus, Maxentius, Agnellus, Fontejus, Laurentius, Agnellus, Felix, Auguſtus, Junior, & Horontius, Epiſcopi.* Deeſt primus *Agnellus* apud Baronium. Ita vero ſubſcribunt: *Ingenuinus Epiſcopus ſanctæ Eccleſiæ ſecundæ Rhatiæ hanc relationem a nobis factam ſubſcripſi. Maxentius Epiſcopus S. Eccleſiæ Julienſis, ut ſupra. Laurentius Epiſcopus S. Eccleſiæ catholicæ Bellunatæ, ut ſupra. Auguſtus Epiſcopus S. catholicæ Concordienſis Eccleſiæ, ut ſupra. Agnellus Epiſcopus S. Trejentinæ Eccleſiæ, ut ſupra. Agnellus Epiſcopus S. Acelinæ Eccleſiæ, ut ſupra. Junior Epiſcopus S. Eccleſiæ catholicæ Veronenſis, ut ſupra. Fontejus Epiſcopus S. Feltrinæ Eccleſiæ, ut ſupra. Felix Epiſcopus S. Terviſianæ Eccleſiæ, ut ſupra. Horontius Epiſcopus S. catholicæ Eccleſiæ Vicentinę, ut ſupra.* Novem ſubſcriptiones numerantur apud Baronium: deeſt enim *Agnellus S. Eccleſiæ Acelinæ*. Agnellum alterum, qui dicitur Epiſcopus *S. Eccleſiæ Trejentinę*, appellat Baronius idem in margine *Parentinæ* Eccleſię Antiſtitem. Error eſt, cum ſubſcribentes in titulo dicantur, *Venetiarum vel Rhętię ſecundę* Epiſcopi; *Parentium* autem ad Iſtriam pertineat. Legendum ergo, *Tridentinę Eccleſię*, cujus Antiſtitem, nomine *Agnellum*, ſubſcriptum legimus in Synodo Gradenſi, & Mariana. *Ruſtico* Tarviſino, & *Clariſſimo* Concordienſi defunctis, *Felicem*, & *Auguſtum* ſubrogatos diſcimus.

Quo in loco decem prędicti Rhętię, & Venetiarum ſchiſmatici Epiſcopi congregati, libellum Mauricio

ricio dederint, non conſtat. Conſtat vero, labi Antonium Pagium, qui ad Annum DXC. num. 11. conventiculum iſtud cum Marianenſi conciliabulo confundit. Nota eſt utriuſque Synodi longe diverſa cauſa. Huic interfuit Maxentius Julienſis, qui Marianenſi non adfuit: & vice verſa Marianenſi adfuit Petrus de Altino, cujus in hac ſubſcriptio non apparet. Ad illam convenere Clariſſimus Concordienſis, & Ruſticus Tarviſinus, quibus non diu poſt defunctis, libello ſubſcribunt ſucceſſores Felix, & Auguſtus.

Totidem in hoc habentur libello, quot narrat Mauricius in ſuo Reſcripto. Ajunt enim ſchiſmatici: *Ergo, mitiſſime dominator, totius Concilii noſtræ parvitatis hæc eſt deliberatio, ſicut & eidem Patri & Archiepiſcopo noſtro ſcripſimus, ut pro reddenda ratione communionis noſtræ, contrito Dei judicio jugo barbarico, opportuno tempore, ad veſtræ pietatis veſtigia occurramus... Sint induciæ*, & *cum juſsione ſacratiſsimi Imperii veſtri, parati erimus ad pedes veſtræ pietatis occurrere, & noſtræ fidei atque communionis plenam reddere rationem*.

Imperatoris benevolentiam ſibi conciliare ſatagunt, ſignificantes ipſi: *Quia tempore ordinationis noſtræ* (ut inquiunt) *unuſquiſque Sacerdos in Sancta Sede Aquilejenſi cautionem ſcriptis emittimus, ſtudio & fide Ordinatoris noſtri, nos fidem integram Sanctæ Reipublicæ ſervaturos: quod ipſe novit Dominus, nos fideliter toto corde ſervaſſe, & hucuſque jugiter ſervare*. Miſerum denique deſcribunt Aquilejenſis Provinciæ ſtatum, ac imminentem Metropoleos diſſolutionem: *Si conturbatio iſta*, inquientes, *& compulſio præſentibus juſ-*

Juſſionibus veſtris remota non fuerit, ſi quem de nobis, qui nunc eſſe videmur, defungi contigerit, nullus plebium noſtrarum ad ordinationem Aquilejenſis Eccleſia poſt hoc patietur accedere. Sed quia Galliarum Archiepiſcopi vicini ſunt, ad ipſorum ſine dubio ordinationem accurrent, & diſſolvetur Metropolitana Aquilejenſis Eccleſia ſub veſtro Imperio conſtituta, per quam, Deo propitio, Eccleſias in gentibus poſſidetis. Quod ante annos jam fieri cœperat: & in tribus Eccleſiis noſtri Concilii, ideſt Beconenſi, Tiburnienſi, & Auguſtana Galliarum Epiſcopi conſtituerant Sacerdotes. Et niſi ejuſdem tunc divæ memoriæ Juſtiniani Principis juſſione commotio partium noſtrarum remota fuiſſet, pro noſtris iniquitatibus pene omnes Eccleſias ad Aquilejenſem Synodum pertinentes Galliarum Sacerdotes pervaſerant. Tiburnienſem Eccleſiam, cujus Præſulem Leonianum Synodo Gradenſi dictæ ſubſcriptum legimus, manifeſtat Eugippius in Vita S. Severini, qui Atilæ temporibus vitam agebat, apud Bolland. ad Diem 8. Januarii. Prædictionem a Viro Sancto factam Paulino de ejus in Epiſcopum electione refert Cap. 7. eamque ſic impletam narrat: *Eo remeante ad Patriam, ſermo in eo prædicentis impletus eſt: nam cives Tiburniæ, quæ eſt Metropolis Norici, coegerunt prædictum Virum ſummi Sacerdotii ſuſcipere principatum*, Plinius Lib. 3. Cap. 24. *Teurniam* vocat, quam plerique *Sancti Viti* Oppidum in Carinthia, alii *Villachum* ad Dravum, aliter alii interpretantur. *Auguſtana*, & *Beconenſis* ambigua interpretatio. Non *Auguſtam* in Vindelicis, ſed fortaſſe *Caſtra Auguſtana* in Norico intelligenda primum cenſebat Marcus Hanzifius Tom. I. Germaniæ Sacræ: verum non iſta,

iſta, ſed illam priore ſententia revocata, intelligit in Corollariis: idemque ſentiunt Bollandus, aliique apud ipſum. Loco Eccleſiæ *Beconenſis* legit Baronius *Bremenſem*: legendum vero arbitratur Bollandus ad Diem 5. Februarii *Breonenſi*, ſeu *Breunenſi*, ſive *Brennenſi*; ac populos *Brennos*, ſeu *Breones*, qui utrumque Oeni fluvii latus incolebant, intelligendos eſſe, multa evincit eruditione: eorumque veſtigium adhuc haberi adnotat in monte, qui *Brenner* vulgo appellatur in Tyroli Oenum inter, & Atheſim.

Quæ fuerint a Francis occupatæ Juſtiniani tempore regiones, colligi poteſt ex Agathia. Narrat is. Lib. 1. Theodoricum Gothorum Regem, *cum univerſa Italia potiretur, tributarios* (Alemannos) *feciſſe, totamque hanc gentem ſubegiſſe. Simulatque vero e vivis* (Theodoricus) *exceſſit, atrociſsimum bellum inter Juſtinianum Romanorum Imperatorem, & Gothos exarſiſſe. Tum Gothos Francis adulantes, eorumque amicitiam & benevolentiam ſibi conciliantes, e multis locis diſceſſiſſe, & Alemannicam gentem dimittere coactos eſſe: cogendas ſibi tum undequaque vires ſuas putantes, ut pro Italia certarent. Hoc denique modo Alemannorum nationem, a Gothis dimiſſam, in ſuam poteſtatem* (Francos) *redegiſſe*. Id accidit, Theodeberto Auſtraſiæ Rege, qui ab anno DXXXIV. regnum tenuit uſque ad annum DXLVII. Alemannis devictis domitiſque, Rhætiæ, Noricum, alięque Provinciæ ceſſerunt Francis. Theodeberto ſucceſſit Theodebaldus, qui *ſibi nullo negotio* (verba ſunt Procopii Lib. 4. de Bello Gothico cap. 24.) *tributaria fecit nonnulla Liguriæ loca, Alpes Cottias, agrique Veneti partem maximam*. His ergo temporibus, Galli Archie-

chiepiſcopi facultatem arripuerant in Eccleſias Provinciæ Aquilejenſis ; in eiſque Sacerdotes, aut Epiſcopos conſtituerunt . Verebantur præterea ſchiſmatici, ne Rhætiarum, & Norici populi, ægre ferentes ſollicitudinem Apoſtolicam , qua redire cogebantur Aquilejenſes Epiſcopi ad unitatem Eccleſię , proprio relicto Metropolita , a vicinis Gallis Archiepiſcopis Sacerdotes poſtularent . Non erant illi ſchiſmatici : neminem tamen aut Synodum quintam recipere, aut tria damnare capitula compellebant , ut capite I. adnotatum eſt.

Ex his, quę narravimus, nonnulla colligi poſſunt. Dignum eſt animadverſione: ſchiſmaticos omnes, qui *ſuggeſtiones* Imperatori Mauricio tranſmiſerunt , *Epiſcopos* dici in ejus Reſcripto *Iſtrienſium Provinciarum*. Hoc ſcilicet ęvo Venetia quoque vocabatur *Iſtria* : quod etiam nomen latiori prędicta ſignificatione adhibitum a Pelagio II. admonuimus Cap. 6. Non ſolum pręterea Gregorio Pontifici datum eſt a Mauricio reſcriptum , ne ulla ſchiſmaticis inferretur moleſtia , ſed etiam Romano Exarcho . Id ex epiſtola Gregorii diſcimus ad Joannem Ravennatem ſcripta , Indictione X. ideſt anno DXCII. quę Lib. 2. recenſetur num. 46. alias 32. Ait enim: *De cauſa vero Epiſcoporum Hiſtriæ* , (ſchiſmaticos omnes appellat Iſtrię Epiſcopos) *omnia quę mihi veſtra Fraternitas ſcripſit, ita eſſe jam deprehendi in iis juſſionibus, quæ ad me a piiſſimis Principibus venerunt.... Movere autem vos non debet præfati Excellentiſſimi Viri Romani Patricii animoſitas: quia nos quanto eum loco & ordine pręimus, tanto ſi qua ſunt ejus levia, tolerare mature & graviter debemus.* Imperatoris namque juſſio-

ſione accepta, nedum operam omnem pro ſchiſmate extinguendo negabat Romanus, ſed ipſum Romæ Pontificem offendere nihili faciebat. Colligitur demum, libellos a ſchiſmaticis anno DXCI. ad Mauricium tranſmiſſos eſſe; ejuſque Imperatoris Reſcripta anno inſequente ad Gregorium, & Romanum Exarchum perveniſſe.

CAPUT XIV.

Schiſmaticos inſequitur Gregorius. Scribunt iidem pro tribus Capitulis ad Pontificem. Gravem reddit ipſe epiſtolam. Hæc perperam inſcribitur ad Hiberniæ, aut Iberiæ Epiſcopos. Columbani epiſtola ad Bonifacium IV. expenditur.

SChiſmaticorum pervicaciam paſtoralis officii ſollicitudine vinci tandem poſſe, non diffidebat Gregorius. Imperatoriis mandatis minime perterritus, *de eadem re Sereniſſimis Dominis cum ſummo Zelo Dei, & libertate* ſe *reſcripturum*, Joanni Ravennati ſignificat in epiſtola citata. Nihil ille ab Auguſto obtinere potuit, vivente Romano Exarcho, qui demum ex hac vita migravit anno circiter DXCVIII. unde in epiſtola Sebaſtiano Epiſcopo data Indictione XIII. ideſt anno DXCV. quæ extat Lib. 5. num. 42. ſcripſerat Gregorius: *Malitiam* Romani *gladios Langobardorum viciſſe*.

Quod in ipſo tamen erat; perficiebat omne vigilan-

lantiſſimus Paſtor, aut opportuna ſeveritate, aut humanitate promptiſſima, ut ſchiſmaticos aut frangeret, aut emolliret. Pro Severo Aquilejenſi flagitaverat a Gregorio ſubſidium eleemoſynæ Joannes Ravennas, quod ejus incenſa civitate, ipſe & cives ejus rerum inopia premebantur. Durius agendum cum Metropolita ſchiſmatico, ac hoſte infenſiſſimo, cenſuit Pontifex. Joanni reſpondit epiſt. cit. in hæc verba: *De hoc, quod dicitis, incenſa civitati Severi ſchiſmatici eleemoſynam eſſe mittendam, idcirco veſtra fraternitas ſentit, quia quæ contra nos præmia in Palatium mittat, ignorat. Quæ etſi non traſmitteret, nobis conſiderandum fuit, quia miſericordia prius fidelibus, ac poſtea Eccleſiæ hoſtibus eſt facienda*.

Ad ipſum Gregorium litteras mittere ſchiſmatici auſi ſunt, quibus diviſionem tueri, in qua ab unitate Eccleſiæ diſciſſi jacebant, pro viribus nitebantur. Gravem ſe pati perſecutionem expoſtulabant, ſed eam pati pro fide gloriabantur: addebantque, a tempore quintæ receptæ Synodi cum trium capitulorum proſcriptione, inter alias Provincias maxime flagellari Italiam. Similia jactaverant ipſi in libello ad Mauricium tranſmiſſo. Initio ſcribunt: *Nullo pondere preſſurarum ab integritate Catholicæ fidei ullo modo titubaſſe*. Ajunt etiam in calce: *Suſpicionem dari evidenter, chriſtianis* (ita ſe vocant) *fieri perſecutionem*. Vetus hæc erat eorum querela, quam Pelagius I. compreſſit in fragmento epiſtolæ ad Narſetem apud Labbeum num. 3. *Non vos hominum*, inquiens, *vaniloquia retardent dicentium, quia perſecutionem Eccleſia faciat*.

Grave reſponſum dedit Pontifex, quod eſt epiſtola,

In-

Indictione X. ſignata Lib. 2. num. 51 . Sic ille epiſtolam orditur : *Scripta veſtra ſumma cum gratulatione ſuſcepi : ſed erit in me uberior valde lætitia , ſi mihi de veſtra contigerit reverſione gaudere*. Sine cauſa , reponit, de perſecutione , quam pati jactabant, ipſos gloriari : *quia perſecutio, dum non rationabiliter ſuſtinetur, neqnaquam proficit ad ſalutem*. Sed etiam temere ac falſo perſecutioni obtendi ab illis fidem , oſtendit quoniam *in Synodo , in qua de tribus capitulis actum eſt , aperte liquet , nihil de fide convulſum eſſe , vel aliquatenus immutatum : ſed de quibuſdam illic ſolummodo perſonis eſt actitatum ; quarum una ,* (Theodorus Mopveſtenus) *cujus ſcripta evidenter a rectitudine catholicæ fidei deviabant , non injuſte damnata eſt*.

Quod ſcripſerant ſchiſmatici , ex illo tempore , quo Synodus quinta cum damnatione capitulorum recepta eſt , Italiam maxime barbarorum flagello conteri ; *non hoc*, inquit, *ad ejus debet intorqueri opprobrium , quoniam ſcriptum eſt :* (ad Hebr. cap. 12. ℣. 6.) *Quem diligit Dominus, caſtigat : flagellat autem omnem filium , quem recipit* . Sed oppido futilem , vanam , temeramque eorum conſecutionem his verbis probat: *Poſtquam recordandæ memoriæ Vigilius Papa in Urbe Regia* (Conſtantinopoli) *conſtitutus contra Theodoram tunc Auguſtam* (Juſtiniani uxorem) *vel Acephalos damnationis promulgavit ſententiam ;* (damnaverat ſcilicet Vigilius Theodorum Cæſareenſem Epiſcopum cum ſuis Acephalis, quibus damnatis & ipſa quoque damnata dicitur Theodora Auguſta , quæ partibus eorum impenſe favebat :) *tunc Romana urbs ab hoſtibus* (Gothis) *adita & captivata eſt . Ergo bonam*

 cau-

cauſam habuerunt Acephali, & injuſte damnati ſunt, poſt quorum damnationem talia contigerunt? Abſit. Hoc enim nec veſtrum quempiam, nec alios, qui catholicæ fidei myſteriis inſtituti ſunt, dicere, vel aliquo modo confiteri convenit.

Cum vero ſchiſmaticis lapis eſſet offenſionis trium capitulorum damnatio, opportunum judicavit Gregorius, ut eorum ſatisfaceret dubietati, *librum* ad eos iterum tranſmittere, *quam de hac re ſanctæ memoriæ deceſſor ejus Pelagius Papa ſcripſerat*: tertiam nimirum epiſtolam *ad Eliam & Epiſcopos Iſtriæ*, nomine Pelagii II. ab eodem Gregorio, cum adhuc Diaconus eſſet, concinnatam, ut cum Paulo Diacono capite *6.* adnotavimus. *Quem* (librum, inquit ille) *ſi depoſito voluntariæ defenſionis ſtudio, puro vigilantique corde ſæpius volueritis relegere, eum vos per omnia ſecuturos, & ad unitatem noſtram nihilominus reverſuros eſſe confido.*

Hujuſce epiſtolæ non unus titulus eſt in Mſſ. & excuſis. Data in aliquibus legitur *Univerſis de trium capitulorum cauſa*: in aliis *Univerſis defenſoribus trium capitulorum*. At certe non univerſis data eſt, ſed illis quorum *ſcripta* Gregorius ſuſceperat. Habent codices aliqui, & editiones, *Univerſis Epiſcopis per Hiberniam*, aut *Iberiam*. Ita legendum eſſe contendunt Antonius Pagius ad Annum DXCII. num.2. & Franciſcus ejus Nepos in Breviario Rom. Pontif. in Vita ejuſdem Gregorii num.12. quod arbitrantur confici ex epiſtola S. Columbani ad Bonifacium IV. data anno DCXIII. aut inſequente è Monaſterio Bobienſi. Eam refert Patricius Flamingus in Collectaneis Operum ejuſdem ſancti Viri, eamdemque tranſtulerunt

runt in Tomum XII. Bibliothecæ Sanctorum Patrum Lugdunenſes editores. Ex hac *conſtat*, inquit Franciſcus Pagius, *Hibernos in ſchiſma defenſorum trium capitulorum lapſos eſſe ; cum in ea S. Columbanus ſe & ſuos Hibernos trium capitulorum defenſores prodat ; & queratur quod ipſemet Bonifacius Synodum quintam admiſerit... Profecto ad alios, quam ad Iſtriæ Epiſcopos* (alia eſt Pagii objectio) *hac epiſtola ſcripta ; cum enim in ea dicat Gregorius, ſe ad eos mittere librum, quem de tribus capitulis Pelagius Papa ſcripſerat, ad alios quam ad Iſtrios ſcribebat Gregorius, ad quos hunc librum non miſiſſet, qui nihil aliud erat, quam epiſtola illa prolixa ab ipſo Gregorio adhuc Diacono, nomine Pelagii Papæ ad Iſtriæ Epiſcopos ſcripta*. Tum Hibernis denique, tum Iberis data dici poteſt; cum Hiberni dicerentur etiam Iberi ab Ibero flumine Hiſpaniæ : referebantque illi originem ſuam ad Iberiam, ſive Heſperiam antiquam, hoc eſt, Hiſpaniam.

Quæcumque fuerit Hibernorum origo & appellatio, nihil eſt quod hoc loco aut approbem, aut rejiciam. Hibernos certe capitulorum defenſores in epiſtola Columbani prodi, omnino inficior. Pro capitulis eiſdem ad Bonifacium ſcribere Columbanum, dubium nullum eſt : at ſchiſmaticorum Italiæ, a quibus deceptus fuerat, non Hibernæ gentis, aperit ſenſus, ac parum prudens vindicat. Ait ille : *Populus, quem video, dum multos ſuſtinet hæreticos, zeloſus eſt, & cito tanquam grex pavidus turbatur : & inde non cito ſecurus eſt, quia tantos Italia lupos habuit, quorum catuli vix poſſint toti elidi*. Italiam proprio nomine appellatam legis, hæreticis ac lupis plenam, ut ſpargebant ſchiſmatici. *Multi per ſecuritatem paſtorum in*

 his

hiſ regionibus dejecti ſunt... In hac regione, in hoc ſpiritali bello victi ſumus, etiam chriſtiani, vitiis primum carnalibus. Non aliam intellexerit Columbanus regionem, niſi Italiam, quo e Gallia pulſus, ac etiam relicta Germania pervenerat, vitamque agebat in Monaſterio Bobienſi, quod ipſe extruxerat. *A Rege cogor, ut ſingillatim ſuggeram tuis piis auribus ſui negotium doloris*. Hic Rex eſt Langobardorum Agilulfus, a quo benigne Virum ſanctum exceptum fuiſſe, narrat Jonas in ejus Vita. Dolor autem Regis erat *ſchiſma populi pro Regina, pro Filio, forte & pro ſeipſo*. An Hiberni populi ſchiſma fuerit? Quid Hibernia cum Agilulfo, cum Theodelinda, cum Adaloaldo, cum familia Regis? Schiſma eſt Venetorum, ac Iſtriorum, aliorumque ſi qui erant in Italia, qui regiam familiam contra Synodi quintæ receptores movere tota contentione nitebantur. *Si qui ſunt rebelles contra veritatem veſtri Comprovinciales*. Italos Epiſcopos intelligit, quos vocat Comprovinciales, hoc eſt, ejuſdem Provinciæ Italiæ. *Sed quando Rex gentilis* (indigena) *peregrinum ſcribere Longobardus Scotum habetem rogat*. Juſſu Agilulfi Regis Bonifacio ſcribebat Columbanus pro Italis certe, non pro Hibernis, ut ſchiſma de Eccleſia tolleretur. *Quidam litteris ſuis, quibus me primo pene ingreſſu in hujus regionis terminos arripuit, vos mihi cavendos, tanquam in Neſtorii ſectam decidentes, ſignificavit*. Vix Italiam attigerat ille, cum litteris a ſchiſmatico Italo acceptis monebatur, ut Romani Pontificis communione abſtineret. Gregorii ſane communionem ſe vitare, impudentiſſime Mauricio Imperatori ſcribebant in libello ſchiſmatici: *cujus* (Gregorii, & Romani Pontificis)

com-

communionem, inquientes, *ab initio motionis cauſa hujus uſque nunc, Deceſſores noſtri & nos cum omni populo evitamus*.

Hæc erant paulo attentius utrique Pagio expendenda, ne verbis epiſtolæ, quæ poſt initium leguntur, tam facile deciperentur. Ait Columbanus: *Nos enim ſanctorum Petri & Pauli, & omnium diſcipulorum, divinum canonem ſpiritu ſancto dictante ſcribentium, diſcipuli ſumus, toti Hiberi, ultimi habitatores mundi, nihil extra Evangelicam & Apoſtolicam doctrinam recipientes: nullus hæreticus, nullus judeus, nullus ſchiſmaticus fuit: ſed fides catholica, ſicut a vobis primum, ſanctorum ſcilicet Apoſtolorum ſucceſſoribus, tradita eſt, inconcuſſa tenetur*. Non his Vir ſanctus Hibernorum nomine ſe ſcribere ſignificat: ſed patriam ſuam, conditionem, religionem prodit: ſibique benevolum reddere Pontificem nititur, quod homo litteras mittat ad ipſum in Hibernia natus, ubi fides inconcuſſa abſque ullo ſchiſmate ſervatur. Hinc ſequitur: *Qua fiducia roboratus ſum, ſuſcitare vos contra eos, qui blaſphemant vos, & hereticorum receptores, ac ſchiſmaticorum vacant*. Ac ſi & ipſe ab Italiæ ſchiſmaticis in partes tractus non eſſet, ſed Iberus totus, ultimi habitator mundi, nihil extra Evangelicam, & Apoſtolicam doctrinam recipiens, Bonifacio ſcribit, ejuſque animum fortius flectere poſſe confidit. Cum ergo Hibernororum ſchiſma probari nequeat, quod frangere ſtuduerit Gregorius; prædictam epiſtolam Iſtriæ Epiſcopis a Magno Pontifice ſcriptam, dicendum eſt. Illi Gregorii communionem evitare, gloriabantur: damnatores capitulorum veluti hæreticos, & ſchiſmaticos fugiebant: querebanturque ſe pati perſecutionem: quam

eorum querelam, & gloriam caſtigat, & comprimit Gregorius. Neque abſurdum eſt, iterum ad eoſdem tranſmitti Pelagii librum, jam ante ad illos eorumque Metropolitam Eliam directum: adeo namque abſolutum contra capitulorum defenſores opus erat, ut *ſi depoſito voluntariæ defenſionis ſtudio, puro vigilantique corde ſegnius relegere* voluerint ſchiſmatici, illud eos *per omnia ſecuturos, & ad unitatem* Eccleſiæ *reverſuros*, quin novis libris aut epiſtolis opus eſſet, *confidebat* Gregorius.

Hinc Joannis Diaconi verba corrigenda ſunt, quæ Lib. 3. num. 1. habentur: *Jam Ligures, Venetos, Iberos, alioſque a ſchiſmate ſub libello confeſſos, Chalcedonenſem Synodum venerari compellens, ad unitatem ſanctæ Eccleſiæ revocarat* Gregorius. Non revocabantur ſchiſmatici ad venerationem Synodi Calchedonenſis, cum illi potius errore ducti metuentes, ne prædicta Synodus trium capitulorum damnatione læderetur, Gregorio & Eccleſiæ catholicæ contradicerent. Dum vero ſchiſmaticis jungit *Iberos*, corrigendus eſt ex epiſtola Pelagii I. ad Narſetem, ubi ſchiſmatici Epiſcopi numerantur *Ligures, Veneti, Iſtrii*.

CA-

CAPUT XV.

Theodelinda Langobardorum Regina, Gregorii opera, non recedit ab unitate. Reginę exemplum ſecuti, ſchiſma ejurant plures Epiſcopi. Iſtriorum converſioni ſedulo invigilat idem Pontifex. Epiſcopatus Caprulenſis origo indicatur. Sedis Aquilejenſis translationem ad inſulam Gradum non confirmat Gregorius.

MAgni Gregorii conatus, laboreſque, ut diviſione ſchiſmaticorum ſublata, unitas Eccleſię inſtauraretur, produnt quamplures ejus epiſtolæ. Caritatis ejus inſignis præda fuit Theodelinda Langobardorum Regina, Autharis primum, deinde Agilulfi, barbarę gentis Regum, uxor prudentiſſima. A ſchiſmaticis decepta, habere communionem detrectabat cum Conſtantio Metropolita Mediolanenſi, qui Synodum quintam receperat, triumque capitulorum damnationem jurejurando firmaverat. Sanctiſſimi Pontificis prudenti œconomia factum eſt, ut capitulorum negotio diſſimulato, Eccleſię unitatem Regina ſervaret. Hęc nos docent epiſtolę 2. & 29. ad Conſtantium Mediolanenſem, & 4. ac 38. ad ipſam Theodelindam noviſs. edit. Datæ illę ſunt Indictione XII. anno ſcilicet DXCIV. Indictiones ęvo Gregorii a Septembri menſe numerabantur. Si certa eſſet nota menſium, quibuſdam adjecta epiſtolis, certa anni caden-

 tis,

tis, & inſequentis differentia ſtatui poſſet. At eorumdem menſium notas, quę in editis leguntur, in quampluribus codicibus Mſſ. non inveniri, adnotant Monachi noviſſimę editionis auctores: unde cadentis anni menſibus prętermiſſis, annum illum indicare ſatis fuerit, cujus majorem partem indictio afficit; nec enim diligentiorem hoc loco tenemur chronologiam ſequi.

Neque ſolum, Gregorii opera, non receſſit ab unitate Theodelinda: ipſam denique Synodum quintam amplexa eſt, cum damnatione capitulorum. Id colligi poſſe arbitrantur Viri docti ex epiſtola ad eam data Indictione VII. ideſt anno DCIII. cadente, vel ſequente incepto, Lib. 14. num. 12. ex qua diſcimus, quędam ab ipſa Secundini, aut Secundi Abbatis objecta contra Synodum quintam, & capitulorum proſcriptionem ad Sanctiſſimum Pontificem tranſmiſſa eſſe, ut ad ea *ſubtilius reſponderet*, datiſque ſolutionibus Viri pręclariſſimi dubia dirimeret. Reginę votis tam cito ſatisfacere podagrę infirmitate laborans non potuit Gregorius. Ait vero: *Eam tamen Synodum, quæ pie memoriæ Juſtiniani tempore facta eſt, per latores præſentium tranſmiſi, ut prædictus filius meus* (Secundinus) *dilectiſſimus ipſam legens, agnoſcat quia falſa ſunt omnia, quæ contra Sedem Apoſtolicam, vel Catholicam Eccleſiam audierat.*

Tam præclaro ſapientiſſimæ Theodelindæ exemplo permoti, meliora ſentire cœperunt ſchiſmatici. Putat veriſimile Bollandus ad Diem 5. Februarii in Vita S. Ingenuini Sabionenſis in Rhætia Secunda §. 5. num. 33. eumdem Antiſtitem, quem ſanctorum faſtis adſcriptum colit Eccleſia, *maxime poſtquam Theodelinda Regina, primum in partes defenſorum*

trium

trium capitulorum perducta , deinde ſtudio S. Gregorii ad communionem catholicorum erat revocata , & ipſum quoque dediſſe veritati manus , cum eſſet cæteroqui vir bonus , & miſericordiæ operibus deditus . Idem de aliis conjiciunt alii.

Procul ſane omni dubio ſchiſmaticorum plures , Epiſcopos, Clericos , ac de plebe fideles expugnare potuit , adjuvante Numine , ſollicitudo Gregorii . Strenuam illi commodabant operam Magiſtri militum , Viri illuſtres, Baſilius, & Maſtalo . Scriptas ad eoſdem epiſtolas legimus Lib. 5. num. 46. & 47. Indictione XIII. ideſt anno DXCV. quibus eorum zelum pro Eccleſiæ unitate maxime commendat : illoſque vehementius urget , ne operis arduitate a procuranda *Hiſtricorum* reverſione deterreantur . Titulo *Magnitudinis* Baſilium exornat , ejuſque filiorum meminit . Maſtalonis quoque ſocium nominat Theodoſium , *boni cooperatorem ſtudii* , cum eoque *in ſollicitudine lucrandarum animarum ſolerter invigilantem* . Iſtrios cum legis in hac epiſtola , incolas intellige Provinciæ Iſtriæ, ac etiam aliquarum in æſtuariis Adriatici maris inſularum , quas prædicti Greci Imperatoris Duces regebant .

Eodem anno data eſt epiſtola LI. ejuſd. Libri ; *Petro , & Providentio* (Prudentius in editis legitur) *Epiſcopis Hiſtriæ* inſcripta . Eorum intellexerat Summus Pontifex deſiderium *veniendi* Romam , *ſi promiſſum fuerit , quia nullam moleſtiam ſuſtinerent* . Lubens pollicetur illis , quod expoſcebant : atque ut Romam veniant humaniſſime excipiendi , eos adhortatur ; *quia plus perſona præſens , quam epiſtola ſatisfacit* . Provinciæ Iſtriæ a Venetia mediteranea diſtinctæ Epiſcopos

fuiſ-

fuiſſe, colligimus ex epiſtola ſchiſmatici Joannis, qui Severo ſucceſſit, ad Agiluiſum Regem, cujus fragmenta in Mantuano Concilio ſervata dabimus capite ſequente. Diſcimus enim, a Smaragdo iterum Exarcho ad Inſulam Gradum perductos eos eſſe, ut catholicum Candidianum Metropolitam ordinarent: unde ex Iſtria Epiſcopi erant, quæ Græcis parebat. Quas ipſi regerent Eccleſias, ignotum: mutilæ ſunt enim ac imperfectæ Provinciæ illius Eccleſiarum Tabulæ apud Ughellium. An ſchiſmate relicto, acceſſerint pro votis Gregorii ad unitatem Eccleſiæ, quæri poteſt. Catholicæ communionis eorum nuſpiam mentio in ejuſdem Pontificis epiſtolis. In diviſione permanſiſſe, colligi poteſt ex epiſtola citata Joannis ad Agilulfum, ubi hec legimus: *Petrus, Providentius, ſeu Agnellus, Epiſcopi Iſtriæ, qui adhuc fidem ſanctam tenebant* (errorem vocat fidem ſanctam ſchiſmaticus homo) *& Candidiano nondum conſentiebant, de Eccleſiis ſuis a militibus tracti, & cum gravi injuria & contumeliis ad eum venire compulſi ſunt*. Quidni mendacia oggerat ſchiſmaticus Metropolita? Forte militibus ad cuſtodiam ſtipati, non ad injuriam, ad inſulam Gradum venerant. Certe catholico Candidiano conſenſerunt. Id *per vim* factum eſſe, ſpargebant in vulgus catholicę communionis extorres.

Indictione XIV. ſeu anno DXCVI. duas habemus Gregorii epiſtolas Lib. 6. num. 39. & 47. ad *Cyprianum Diaconum*, & *Leonem Epiſcopum Fanenſem*, quibus commendatur eiſdem *Joannes* quidam *Religioſus, ex Hiſtricorum ſchiſmate ad ſinum ſanctæ Eccleſiæ, Deo revelante, accepta ratione reverſus*. Iſtrium, aut Venetum fuiſſe Joannem, non aſſero. Nam *Iſtrium*

ſchi-

ſchiſma per antonomaſiam dicebatur, quod maxime Veneti, & Iſtrii Aquilejenſi Metropolitæ ſubjecti, fovebant; licet eodem alii quoque implicarentur in aliis Provinciis, qui redeuntes ad Eccleſiam, ab *Hiſtricorum ſchiſmate* reverti dicebantur.

Anno DXCVIII. mortuo Romano Exarcho, ſupremam Italiæ præfecturam capeſſivit Callinicus. Gregorii ſollicitudini operam ſuam adjungebat ille, ut a rebellione ſchiſmaticos revocaret. Hi rem ſuam ſedulo curantes, nova obtinuerunt a Mauricio Auguſto mandata, ne ulla afficerentur moleſtia. Principis juſſionem Gregorio ſignificavit Exarchus: qua illum minime terreri debere, Pontifex reſpondit; *quia quamvis juſſio ipſa ſurrepta eſt, non tamen in ea vobis præceptum eſt, ut venientes ad unitatem Eccleſiæ repellatis*; (ita juſſionem interpretabatur Gregorius;) *ſed ut venire nolentes hoc incerto tempore minime compellatis*. Data hæc eſt ad Callinicum epiſtola, quæ extat Lib. 9. Indictione II. ideſt anno DXCIX.

Ex eadem epiſtola, & ſequente, quæ *Mariniano Epiſcopo Ravennæ* inſcribitur, diſcimus, ad unitatem catholicam rediiſſe Populum Inſulæ *Capritanæ*, ſeu Caprulanæ, quæ in intimo receſſu ſinus Adriatici poſita eſt, littori Forojulienſis Provinciæ proxima, Inſulanis *Caorle* dicta. Originem Epiſcopatus, quo eadem parva Inſula exornatur, aperit Pontifex in citata ad Marinianum epiſtola, quam adnotationibus illuſtratam deſcribere præſtat. *Latores ad nos præſentium, Viri clariſſimi, Vicedominus, atque defenſor venerunt.* Hi erant Oeconomus, ac Procurator ejuſdem Eccleſiæ Caprulanæ. *Aſſerentes, quia in Caſtello, quod Novas dicitur, Epiſcopus quidam, Joannes*

no-

nomine, de Pannoniis veniens, fuerit conſtitutus: cui Caſtello eorum Inſula, quæ Capritana dicitur, erat quaſi per Diœceſim conjuncta. Habemus 1. Joannem Epiſcopum, qui de Pannoniis venerat, in Caſtello, quod *Novas* dicebatur, ſedem fixiſſe. 2. Non longe diſſitas Caprulas in æſtuariis, eidemque junctas Caſtello intra juſtæ dioeceſeos fines. 3. Situm denique idem Caſtrum in ora Marchiæ Tarviſinæ, ut Carolus a S. Paulo, & Lucas Holſtenius adnotarunt. *Adjungunt autem, quod ab eodem violenter abſtracto Epiſcopo & expulſo, alius illic fuerit ordinatus*. Priores editiones habent: *Quod eodem Epiſcopo violenter ab Hiſtrico Epiſcopo expulſo, alius illic fuerit ordinatus*. Clarior prima, ac retinenda lectio videtur. Itaque a prædicto Caſtello novus ejus Epiſcopus Joannes ejectus fuit. *De quo tamen hoc placuiſſe referunt, ut non in prædicto Caſtro, ſed in ſua Inſula habitare debuiſſet*. Locum illi, & ſedem obtulerunt Caprulani. *Qui dum illic cum eis degeret, in errore ſe ſchiſmatis detinere noluit: atque cum omni plebe ſua Excellentiſſimo filio noſtro Callinico Exarcho petitionem dedit, ut catholicæ Eccleſiæ cum omnibus, qui cum ipſo erant, uniri debuiſſet*. Ejurato ſchiſmate, ipſe & populus Caprulanus Callinici patrocinium implorant, ut redeuntes ad Eccleſiæ unitatem protegat, ac tueatur. *Qui, ut ajunt, a ſchiſmaticis perſuaſus, poſt ſemetipſum rediit*. Ut ad priorem ſedem rediret quam reliquerat, & a catholica nuper inita communione recederet, hortabantur collegæ ſchiſmatici. Hinc populus Caprularum, ſe *protectione Sacerdotis privatum eſſe* querebatur: *ſibique ordinari alium debere*, poſtulabat. Votis eorum annuit Gregorius, ac Mariniano

Ra-

Ravennæ Epiſcopo mandat ; ut *ad eundem* (Joannem) *Epiſcopum mittat , eumque reverti ad Eccleſiæ catholicæ unitatem ; & ad propriam plebem admoneat.* Non ſolum ab unitate Eccleſiæ , ſed ab Inſula Caprularum diſceſſerat Joannes. *Qui ſi admonitus redire contempſerit , grex Dei decipi non debet in errore paſtoris.* Idcirco quæ Marinianus agere debeat , conſtituit Pontifex: *Sanctitas tua illic Epiſcopum ordinet: eamdemque Inſulam in ſua Diœceſi habeat , quouſque ad fidem catholicam Hiſtrici Epiſcopi revertantur.* Ordinandum Epiſcopum Ravennati Metropolitæ ſubjicit , donec Iſtriæ Epiſcopi , eorumque Metropolita , qui Gradum Inſulam incolebat , depoſito errore , ſchiſmate extincto ; Romano Pontifici conjungerentur. Hæc eadem compendio collecta narrantur in Epiſtola ad ipſos Caprulanos data Lib. 9. num. 97.

Tam evidentia ac certa Epiſcopatus Caprularum initia , mirum eſt , ignorari potuiſſe a Dandulo , Ughellio , aliiſque. Sic enim Dandulus, qui cæteros traxit in errorem , ſcribit Lib. 6. Chron. Cap. 4. Par. 8. *Hoc tempore* (poſt annum DCV.) *Concordienſis Epiſcopus Joannes , Longobardorum Patriarchæ* (Joanni) *renuens obedire , in vico Caprularum cum Clero & Populo catholico pervenit ; & cum auctoritate Deus-dedit Papæ* , (qui ſedem Romanam tenuit ab anno DCXV. ad DCXVIII.) *ſedem ibi locavit.* Veram Epiſcopatus originem Eminentiſs. Noriſio debemus , qui tamen labi videtur , minus intellecta priorum edictionum lectione , dum in Diſſert. cit. Cap. 9. §. 4. *Ex Gregorio* , ait , *qui primus Caprulæ ſedit Epiſcopus , ex Pannoniis veniens renunciatus fuerat : at eodem Epiſcopo violenter expulſo , alius illic*

fue-

fuerat ordinatus. Senſum reddunt hæc verba; Joannem ex Pannoniis ad Inſulam Caprularum venientem, renunciatum fuiſſe Epiſcopum: eidemque ex Inſula violenter pulſo, alium illic ſubrogatum. Imo narrat Gregorius: Joannem Epiſcopum de Pannoniis venientem, ſedem ſuam in Caſtro locaviſſe, quod *Novas* dicebatur: eodemque ab eo Caſtro depulſo, novum alium Epiſcopum illic ordinatum: Caprulis vero, quæ non longe diſtabant, exceptum Joannem.

Eodem anno DXCIX. aliæ Sanctiſſimi Pontificis habentur epiſtolæ de ſchiſmate Iſtriorum. Ejus provinciæ nonnulli, qui *multa de pravitate Epiſcoporum, qui in illis partibus ſunt, conquerebantur*, Conſtantinopolim proficiſci conſtituerant, ut Mauricium Auguſtum certiorem redderent, ab eoque tanti mali medelam obtinerent. Hos Anatolio Diacono, qui Regia in urbe verſabatur, commendat Gregorius, epiſtola ad ipſum data, quæ eſt ſexageſima ſexta libri noni. In nonageſima tertia gratias agit Gulfari, Magiſtro militum, pro ſtrenua, quam navabat operam, in ſchiſmaticis reducendis: eumque ad perſeverantiam, & revertentium protectionem hortatur. Data eſt nonageſima quarta ad Romanum defenſorem, ut *Hiſtrios ad Epiſcopum ſuum, qui in Sicilia degebat partibus*, venientes adjuvet: ac ipſi Epiſcopo, qui *pro unitate fidei* ad Gregorium *habebat deſiderium veniendi*, Romanam profectionem, ſuppeditatis expenſis, perſuadeat. Nonageſima quinta Callinico Exarcho, & nonageſima ſexta Mariniano Ravennati inſcribitur, quorum favorem & beneficia efflagitat Pontifex pro redeuntibus ad Eccleſiæ unitatem.

Indictione V. ideſt, anno DCII. Lib. 12. num. 33. le-

33. legitur epiſtola ad *Firminum Epiſcopum Hiſtriæ*. Tergeſtinæ urbis Antiſtitem fuiſſe, diſcimus ex alia epiſtola mox referenda. Litteris ejus acceptis, quibus favente Numine ſchiſma ſignificabat ſe ejuraſſe, gratulatorias humaniſſimas reddit Pontifex: *quod* revocatus eſſet *divina gratia ad unitatem Eccleſiæ, a qua pertinacium, & imperitorum hominum inſtinctione disjunctus* fuerat. Gravi ſententia monet ipſum, *ſcutum conſtantiæ contra jacula antiqui hoſtis præparare, ut illiſa frangantur, & vim interius penetrandi non habeant*. Illi demum *ſtudioſiſſime vigilandum, & laborandum* indicit; *quatenus damna, quæ averſionis exemplo commiſerat, non ſolum reverſionis bono reſarciat, ſed etiam lucrum exhibeat*. Accidit vero, ut prænunciatas a Gregorio moleſtias, auctore Severo Metropolita ſchiſmatico, pati cogeretur firminus. Nam *Severus* (ait Pontifex in Epiſt. ad Smaragdum Lib. 13. num. 33. Indictione VI. anno videlicet DCIII.) *Gradenſis Epiſcopus*, (ita dictus, quod Gradum, incenſa Aquileja, incoleret) *ejuſdem caput ſchiſmatis, eum diverſis primum cœpit, ſi poſſet, ſuaſionibus a bono revocare propoſito: quod dum perficere, Deo auctore, minime valuiſſet, ſeditionem illi ſuorum civium excitare non timuit*. Hinc Smaragdo iterum Exarcho, quem Callinico ſuffecerat Mauricius, litteras humanitatis & efficaciæ plenas dedit, ut validiſſime Tergeſtinum Epiſcopum tutari velit: ipſumque rogat, ut *zeli ejus in hac cauſa olim exhibiti* (cum ante quindecim annos eumdem Severum captivum duxerat Ravennam) *nunc vehementius fervor incandeat*.

Extat in Appendice epiſtolarum Gregorii num. 10.

olim

olim Lib. 10. num. 31. juramenti formula, quam Firminus ad unitatem Eccleſiæ rediens dediſſe dicitur. Titulus eſt: *Promiſſio cujuſdam Epiſcopi, hæreſim ſuam anathematizantis, quam ſolvi fecit in nomine Domini Imper. Conſtantinopoli ſub die X. menſis Februarii Indictione V.* Incipit vero: *Quoties cordis oculus nube erroris obductus &c.* Præcipuam ejus partem capite I. deſcripſimus. Definit: *Acta in loco illo, Die, & Conſulibus ſupraſcriptis.* Ipſa demum ſubſcriptio ſequitur: *Ego ille Epiſcopus Civitatis illius, huic confeſſioni promiſſionique mea, præſtito de conſervandis ſupraſcriptis omnibus Sacramento, ſubſcripſi.* Hanc a Firmino datam eſſe promiſſionem, cenſent Viri docti, quibus repugnare nolim: arbitror tamen, dici eam debere formulam, & normam profeſſionis, quam ederent ævo illo, quicumque errore depoſito catholicæ jungebantur communioni. Id ſatis indicant ſubſcriptio, titulus, & finis.

Jam ergo paſtoralem Gregorii ſollicitudinem & vigilantiam, ut Iſtriorum ſchiſma extingueret, narravimus. An ita Severo Aquilejenſi indulgens fuerit, ut eidem *ſcribens, novæ Aquilejæ ſedem per privilegium confirmaverit*, paucis poſtremo loco diſpiciendum eſt. Rem hanc ſcripto reliquit Dandulus in Chron. Lib. 6. Cap. 3. Par. 27. quam nemo credat, qui attentiori mente conſideraverit obfirmatum in ſchiſmate Metropolitæ animum, illatas ab eo moleſtias Firmino aliiſque ad unitatem Eccleſiæ Gregorii ſtudio revocatis, negatum illi ab eodem Pontifice Eleemoſynæ ſubſidium, commotamque in ipſum ad tuitionem catholicorum Smaragdi iterum Exarchi virtutem & iram. Hæc fingere Gradenſibus placuit, ut no-

novam Metropolim pro viribus tutarentur. Privilegium, quod innuitur, nullum exhibetur: neque illud Severo in ſchiſmate ferocienti conceſſerit unquam Gregorius. Veriſimillimum eſt, fingendi anſam arreptam ex titulo *Gradenſis Epiſcopi*, quem Metropolitæ ſchiſmatico tribuit Pontifex in epiſtola citata ad Smaragdum.

CAPUT XVI.

Severi annus emortualis indagatur. Succeſſoris electio differtur ad plures menſes. Duo eliguntur Aquilejenſes Metropolitæ, ſchiſmaticus Joannes in vetere Aquileja, Catholicus Candidianus in Inſula Grado. Hujus electioni favet Romanus Pontifex, Bonifacius III. Tres illum ordinant Epiſcopi Iſtriæ, a Smaragdo vocati. Schiſmaticorum turbæ ſub Bonifacio IV. narrantur.

MIgravit ex hac vita Sanctiſſimus Pontifex Gregorius Magnus anno DCIV. menſe Martio. Pontificum ſucceſſorum chronologia hæc eſt. Septembri menſe ejuſdem anni Sabinianus ordinatur die XIII. idemque mortem obiit anno DCVI. die XXII. Februarii. Poſt plurium menſium interpontificium eligitur Bonifacius III. & anno incepto DCVII. die XIX. Februarii conſecratur. Bonifacius IV. ſucceſſor inauguratur anno DCVIII. die XXV. Auguſti tenuit-

nuitque Romanam ſedem uſque ad ſeptimam diem menſis Maii anni DCXV.

Obiit quoque non diu poſt Gregorium ſchiſmaticus Metropolita Severus. Chronicon Gradenſe apud Ughellium, & Dandulus eidem tribuunt viginti & unum ſedis annos, & unum ac triginta dies: unde cum regendam ſuſceperit Aquileienſem Eccleſiam anno DLXXXVI. mortem ipſum obiiſſe dicendum eſt anno DCVII. quo etiam Bonifacius III. Romæ cathedram conſcendit.

Alia eſt Pauli Diaconi chronographia. Severi annos non numerat: ipſum tamen obiiſſe anno DCVI. ſatis indicat. Mortem refert Magni Gregorii Lib. 4. cap. 30. quam anno DCIV. menſe Martio contigiſſe, communi peritorum calculo diximus. Narrat ille cap. 31. *Sequenti æſtate menſe Julio*, (eodem ſcilicet anno) *puerum* Adaloaldum regni Langobardici conſortem cum Agilulfo Patre Mediolani declaratum eſſe: eique deſponſatam promiſſamque futuram ſponſam Regis Francorum Theodeberti filiam. Ait etiam cap. 33. *ſequenti menſe Novembrio Regem Agilulfum pacem feciſſe cum Smaragdo Patricio in annum unum*: adeoque uſque ad Novembrem anni DCV. *Civitates quoque* (inquit ibidem) *Thuſciæ, hoc eſt, Balneum-Regis, & Urbs vetus a Langobardis invaſæ ſunt*. Hæc ſcilicet acciderunt elapſo induciarum anno. *Tunc etiam menſe Aprili, & Majo* (anni DCVI.) *apparuit in cælo ſtella, quam Cometem dicunt. Dehinc Agilulfus Rex iterum facit pacem cum Romanis tribus annis*. Obitum Severi narrat cap. 34. *His diebus*, inquiens, *defuncto Severo Patriarcha &c.* Eodem in capite

pite ſubjicit : *Rurſum menſe Novembrio, & Decembrio ſtella cometes apparuit*. Unde jam colligi poſſe videtur, poſt Majum, & ante Novembrem menſem anni DCVI. ad manes conceſſiſſe Metropolitam Aquilejæ Severum, Romana ſede poſt mortem Sabiniani vacante.

De ſucceſſore Dandulus agens Lib. 6. cap. 3. ait : *Marcianus novæ Aquilegiæ Patriarcha ordinatus eſt anno Domini DCVII.* Eumdem quoque Marcianum ſucceſſorem exhibet Gradenſe Chronicon. Immediata poſt Severum Marciani ſucceſſio rejici debet : deſignatum electionis annum adprobandum puto. Nempe de ſucceſſore eligendo ortæ ſunt catholicos inter, & ſchiſmaticos diſcordiæ, quibus electio ad plures menſes, adeoque ad annum DCVII. jam cœptum prorogata eſt. Sibi præfici Metropolitam Catholicum expoſcebant Gradenſes, aliique a ſchiſmate revocati: eiſque favebat Smaragdus Exarchus. Parti ſchiſmaticorum, qui erroris complicem optabant, patrocinium præſtabat Giſulfus, Dux Forojulienſis. Hi ſucceſſorem eligendum eſſe in vetere Aquileja, conſenſu Regis Agilulfi, conſtituerunt : ſibique Joannem Abbatem, in errore & ſchiſmate ſocium, præfecere. Elegerunt illi, Romano Pontifice Bonifacio III. urgente, operamque ſuam præſtante Exarcho, Candidianum catholicum in Inſula Grado.

Joannem Severi ſucceſſorem exhibent catalogi omnes Aquilejenſes, quibus conſonum eſt Pauli Diaconi, & Synodi Mantuanæ anno DCCCXXVII. celebratæ teſtimonium. Simul etiam a Gradenſibus electum Candidianum, adeoque duos unius Aquilejenſis Metropoleos ordinatos Metropolitas, catholicum

alterum, & alterum ſchiſmaticum, narrant laudatus Paulus Diaconus, Joannes item Diaconus, & Synodus Mantuana. Pauli verba ſunt Lib.4. cap. 34. *His diebus defuncto Severo Patriarcha, ordinatur Joannes Abbas Patriarcha in Aquileja vetere cum conſenſu Regis, & Giſulfi Ducis: in Grados quoque ordinatus eſt Romanis* (catholicis quintę Synodi veneratoribus) *Candidianus Antiſtes*. Ait etiam Joannes Diaconus in Vita Gregorii Lib. 4. num. 38. *Ab ipſo illius* (Severi) *obitus tempore, Aquilejenſis Diœceſis in duos Metropolitanos, catholicorum videlicet, ſchiſmaticorumque diviſa eſt*. Legimus denique in Synodo Mantuana: *Defuncto itaque Severo, ordinatur loco ejus Joannes Patriarcha in Aquileja, eo tempore quo Agilulfus Rex Longobardorum regnabat: in Grados quoque ordinatus eſt hæreticus* (ita loquebantur ſchiſmatici) *Candidianus Antiſtes*. Digna ſunt animadverſione, quæ relatis verbis Joannes Diaconus præmittit: *Denique Severus*, inquiens, *quia ad unitatem ſanctæ univerſalis Eccleſiæ redire non meruit, ad ſcindendam quoque ſuæ ipſius Diœceſis unitatem Romanum Pontificem ſua vecordia ſuſcitavit*. Ex his enim perſpicuum fit, Romanum Pontificem catholicos Gradenſes, ac Iſtrios excitaſſe ad electionem Candidiani: adeoque neque hunc electum, neque Joannem anno DCVI. poſt Majum menſem, vacante ſede Romana: ſed anno inſequente DCVII. poſt menſem Februarium, Romano Pontifice jam ordinato Bonifacio III.

Poſt Marcianum numerat Dandulus cum Gradenſi Chronico Candidianum, quem *anno Domini DCX.* Aquilejenſem Metropolitam inauguratum ſcribit. Narrat deinde Lib. cit. cap. 4. Par. 3. *Poſt hos dies Giſul-*

ſulſum Forojulianum cum conſenſu Agilulfi Regis Longobardorum Joannem Abbatem in Aquilegia vetere, Candiano ſuperſtite, Patriarcham eligi feciſſe, conſentientibus ſolum tribus Epiſcopis comprovincialibus, quos idem exoratus eſt. In Mſ. Ambroſiano hæc adjiciuntur: *Qui* (tres Epiſcopi) *poſtea ab epiſtola Bonifacii Papæ reprehenſi, Gradenſi Eccleſiæ ſe ſubmiſerunt*. Eadem habet Chronicon Gradenſe. Fabulis omnia ſcatent. Severo Marcianum, & huic Candidianum ſuffectum eſſe, error eſt, quem refellunt catalogi omnes Aquilejenſes, Paulus Diaconus, Joannes item Diaconus, & Synodus Mantuana. His eiſdem teſtibus poſt obitum Severi diſſecta probatur in duos Metropolitanos Diœceſis Aquilejenſis. Tres Epiſcopos tantum electioni Joannis ejuſque ordinationi adfuiſſe in vetere Aquileja, Agilulfi Regis precibus advocatos, minus veriſimile videtur. Ejus habito conſenſu, electum eſſe Aquilejæ Severi ſucceſſorem, ſcimus: verum etiam patet, tribus aut quatuor Epiſcopis Iſtriæ exceptis, reliquos ad unitatem Eccleſiæ revocari non potuiſſe: quorum plures Aquilejam ultro conveniſſe, ut eligerent ſucceſſorem, par eſt omnino credere. Quæ innuitur Bonifacii epiſtola, ignota eſt: nec Epiſcopos noſcere licet, qui Joannem ſchiſmaticum ordinaverint, ac ſe poſtea Gradenſi catholico ſubjecerint. Id confirmari fortaſſe poteſt, ſi aliqua in fabellis veritas ſubluceat, quod ante chronologico calculo adhibito confecimus: Romanum ſcilicet Pontificem, qui Candidiani catholici electioni favit, Bonifacium fuiſſe hujus nominis tertium.

Candidianum ſedi Aquilejenſi impoſitum, ſcribit Dandulus cap. 4. *a Provincialibus Epiſcopis, Clero,*

 & po-

& populo in Grado. Hæc unanimem *Provincialium* Epiſcoporum, qui in Inſula Grado congregati fuerint, ipſumque Candidianum elegerint, conſenſum ſignificant. An convenerint Veneti Epiſcopi, in Langobardorum ditione degentes, quorum neminem a ſchiſmate hoc revocatum tempore ſcimus? Ut ſummum quatuor Epiſcopos Iſtriæ, ſchiſmate depoſito, ad unitatem Eccleſiæ veniſſe, colligimus ex epiſtolis Magni Gregorii, Petrum, Providentium, Firminum, & illum qui propria ſede relicta in Siciliæ partibus degebat. An hi fuerint omnes, quos Dandulus vocat *Provinciales* Epiſcopos?

Hunc Provincialium Epiſcoporum unanimem conſenſum negat Maxentius in Synodo Mantuana: *Hic enim Candidianus*, inquiens, *nec per conſenſum comprovincialium Epiſcoporum, nec in civitate Aquileja... ordinatus eſt*. Id ante negaverat, Candidiano vivente, Joannes ſchiſmaticus in epiſtola ad Agilulfum Regem data, cujus fragmenta in eadem Mantuana Synodo leguntur, & apud Baronium ad Annum DCV. num. 6. *Qualis autem unitas dicitur facta*, (ſcribit ille) *ubi ſpatha, ubi clauſtra carcerum, ubi flagella fuſtium, ubi longa exilia, crudeliumque pœnarum diſcrimina parabantur. Et miſeri ſuffraganei Eccleſiæ noſtræ, ſcilicet Epiſcopi Hiſtriæ* (Veneti ſub Langobardis in ſchiſmate tuti vitam agebant) *cum ſumma vi & neceſſitate a Gradenſi caſtro Ravennam compulſione diſtrictiſſima ducebantur Græcorum: necnon & inibi loquendi licentia negabatur*. An vetus Smaragdi factum, cum Severum treſque alios Iſtriæ Epiſcopos Ravennam traxit; an recens aliud, cum iterum Exarchus eſſet, indicet Joannes, non ita perſpicuum. Recens

cens aliquod Baronius intelligit, vetus ego. *Atque Candidianus inutilis, qui ob ſui ſceleris immanitatem a præfatæ ſanctæ recordationis Domino Severo Deceſſore noſtro ſub anathematis interpoſitione obligatus eſt, ne ad potiorem gradum unquam accederet, quoniam a ſe* (ab ipſo Severo) *eique corde faventibus in prædicto Gradenſi Caſtro adulterium improbe ingerens ... ordinatur Epiſcopus.* Schiſmaticam cum Severo Metropolita communionem fregerat Candidianus: adeoque velut adulter Eccleſiæ Aquilejenſis traducitur a ſchiſmaticis. *Et Petrus, Providentius, ſeu Agnellus, Epiſcopi Hiſtriæ, qui adhuc fidem ſanctam tenebant, & Candidiano nondum conſentiebant, de Eccleſiis ſuis a militibus tracti, & cum gravi injuria & contumeliis ad eum venire compulſi ſunt. Si enim ei recte conſentientes eſſent, voluntarie illi conſentire debuerant, non per vim.* Schiſmatico Joanni non credimus Petri, Providentii, Agnelli Epiſcoporum Iſtriæ ſchiſmaticam communionem, quam aſſerit; neque injurias & contumelias Epiſcopis illis a Smaragdo irrogatas, quas narrat. At paucos illos dumtaxat ad electionem Candidiani vocatos eſſe ab Exarcho Epiſcopos, veriſſimum puto: tres enim aut quatuor Antiſtites Iſtriæ a ſchiſmate revocatos, non plures exhibent hujus ævi monumenta, neque rem niſi notoriam Agilulfo Regi ſcripſiſſet Joannes.

Diſſectam Metropolim Aquilejenſem in duos Metropolitanos dolebant ſchiſmatici, turbas ubique ciebant, Regiam familiam querelis pulſabant, catholicos inſequebantur velut hæreticos, ac hæreticum & hæreticorum receptorem traducebant Bonifacium quartum, qui Bonifacio III. poſt breve Pontificatus ejus ſpatium

ſucceſſerat. Pergit Joannes in epiſtola ad Agilulfum bilem vomere his verbis : *Laborate & agite , quatenus & fides catholica* (ſcilicet error , & ſchiſma) *veſtris augeatur temporibus : & in Gradenſi Caſtro, poſtquam infelix Candidianus de hoc ſeculo ad æterna ſupplicia tranſmigraverit*, (hæc ſunt ſchiſmatici hominis vota) *altera iniqua ordinatio ibi minime celebretur , nec populus in amplius turbetur. Et vere ſi hoc , Deo auxiliante , egeritis, Chriſtus Deus pietati veſtræ erit bonorum omnium retributor.*

Alia eorum iniqua facinora colliguntur ex epiſtola Columbani ad Bonifacium IV. Agilulfum Regem Langobardorum , regiamque familiam in partes trahere conabantur : ac Regem ipſum pene dubium exhibet Columbanus: *Fertur* , inquiens, *dixiſſe : ſi certum ſciret, & ipſe crederet*. Spargebant in vulgus : *Eutychem, Neſtorium, Dioſcorum, antiquos hæreticos a Vigilio* in Synodo quinta *receptos* : hanc eſſe *cauſam totius ſcandali*: in Diptychis *recitari* a Bonifacio eumdem Vigilium,*qui ſic infectus defunctus* erat: ipſumque Bonifacium *ſchiſmaticorum receptorem , & ſchiſmaticum* eſſe : ac *in Neſtorii ſectam decidiſſe*. Ad ipſum Columbanum ſcripſere, qui ab illis deceptus prædictam Bonifacio dedit epiſtolam ſchiſmatis veneno inſperſam , ſanctique viri pœnitentiæ operibus expiandam.

C A-

CAPUT XVII.

Utriuſque ſedis Epiſcoporum ſucceſſio recenſetur uſque ad Primogenium Gradenſem, & Fortunatum Aquilejenſem. Fortunatus deceſſor ſchiſmaticus Primogenii, idem videtur eſſe cum Fortunato Aquilejenſi. Epiſtolæ Honorii, qua Primogenius ad Inſulam Gradum mittitur in Epiſcopum ordinandus, conſtituitur epocha. Septuaginta ſchiſmatis anni explicantur.

CAndidiano in Gradenſi Eccleſia ſucceſſit Epiphanius. De hujus ordinatione ſic habet Paulus Diaconus Lib. 4. cap. 34. *Candidiano quoque defuncto, apud Grados ordinatur Patriarcha Epiphanius, qui fuerat Primicerius Notariorum, ab Epiſcopis qui erant ſub Romanis.* Romani intelliguntur Græci, in quorum ditione Inſula Gradus erat, ac Iſtria Provincia. Notariorum diſtinguebantur hoc ævo alii, quorum munus erat conſcribere Synodorum acta, excipere diſputationes, & orationes, & quæcumque in Conciliis gerebantur. Sublimioris gradus adhibebantur alii, qui tabulas publicas, ſupplices libellos, producta teſtimonia, petitiones in Synodis legebant. Ex ordine Diaconorum aſſumebantur, quibus alius præficiebatur aut Diaconus, aut Presbyter: qui *Primicerius* dicebatur *Notariorum*, hoc eſt, eorum primus aut princeps. Hoece munere & honore potiebatur

tur

tur in Eccleſia Gradenſi Epiphanius, qûo ipſum à Severo exornatum fuiſſe, narrat Dandulus: unde colligi poteſt, ſchiſmati prius addictum, Eccleſiæ poſtea unitatem amplexum eſſe.

Epiphanii electionem adligat Dandulus anno DCXV. eique Dandulus idem, & Chronicon Gradenſe *annum unum* attribuunt, *tres menſes ac duos dies*. Cyprianum ſucceſſorem exhibent, *Anno Domini DCXVI.* inauguratum. Quindecim Sedis ejus annos numerant: quo defuncto, ſedem Gradenſem occupavit Fortunatus: eique ob hæreſim & ſchiſma fugato ſuffectus eſt Primogenius *Anno DCXXX*. Minus hærendum Danduli chronologiæ arbitror, qua Epiſcoporum Gradi electio cum annis Chriſti connectitur, quod alio ductus errore cum Chronico Gradenſi Marcianum collocaverit poſt Severum. At Marcianus Joanni ſchiſmatico ſucceſſit in vetere Aquileja: Candidianus vero ordinatus fuit in Inſula Grado anno DCVII. Sedis illius annos *quinque* tantum numerant Chronicon Gradenſe, & Dandulus. Invicem ſi colligantur anni *quinque* ejuſdem, *unus* Epiphanii, *quindecim* Cypriani, deſinunt anno æræ vulgaris DCXXVIII. quo Primogenium creatum eſſe Eccleſiæ Gradenſis Antiſtitem puto, ac latius infra oſtendam.

Metropolitarum, qui apud Langobardos eligebantur, catalogi poſt Joannem repræſentant Marcianum, & Fortunatum. Vocatur ille *Martenianus* in catalogo Patriarcharum, qui legitur quotannis coram populo in Eccleſia Forijulii (*Cividale*) die 2. Februarii, Virginis Deiparæ Purificationi ſacra. Dubium moveri ſolet, num iſte Fortunatus Aquilejenſis idem fuerit, ac alter Gradenſis, qui, ſchiſmate ejus de-

te-

tecto, aufugit, ſedemque reliquit? Verba refero Chronici Gradenſis: *Fortunatus quidam hæreticus Pontificatum arripuit, qui quintam Synodum minime credens, ob ſui erroris piaculum pavens, totam Eccleſiam Gradenſem Metropolitanam denudans auro, veſtibus, & ornamentis, ſimul & Eccleſias baptiſmales Provinciæ Hiſtriæ, & Xenodochia, quæ ad eamdem Eccleſiam Gradenſem pertinere videbantur, fugam in Longobardiam petiit apud Caſtrum Cormones ſuper Civitatem Aquilejam*. Eadem habet Dandulus Lib. *6*. Cap. *6*. Par. 13. additque: Fortunatum *Longobardorum audacia* ſedem Gradenſem invaſiſſe: eumque poſt fugam *in Caſtrum Cormones, ibi peſtilenter ſedem tenuiſſe*. Sedis ejus locus deſignatus conjecturam ingerit, eundem eſſe Fortunatum Gradenſem cum Aquilejenſi: namque Paulo Diacono teſte Lib. *6*. Cap. 51. *ſuperiores* (ante Calliſtum) *Patriarchæ, quia in Aquileja propter Romanorum incurſionem habitare minime poterant, ſedem in Cormones habebant*.

An Fortunatus jam fuerit Aquilejenſium, aut Langobardorum Metropolita, cum eorum favore Sedem Gradenſem occupavit; an potius pridem ejectum Grado ſibi poſt Marciani obitum præfecerint ſchiſmatici, quæri poteſt. Priori parti Petrus Calo ordinis Prædicatorum favet in Hiſtoria Translationis S. Hermagoræ inter Acta Sanctorum Tom. 3. Julii. Ait enim: *Quo* (Cypriano) *mortuo, eamdem* (Sedem Gradenſem) *invaſit Cyprianus* (legendum, *Fortunatus*) *hæreticus, qui apud Forumjulii uſurpaverat ſedem Pontificatus, fultus Longobardorum audacia. Hic invaſit Metropolim* (Gradum,) *& ſpoliavit, eique ſubjacentes Eccleſias baptiſmales provinciæ Iſtriæ ac Xenodochia:*

& re-

& remeavit ad Caſtrum Blemanenſe (Cormones) *in Longobardorum confinio ſitum, ubi cathedram peſtilentiæ tenebat* . Nihilominus licet cuique ex Dandulo , & Chronico Gradenſi colligere: Fortunatum, errorem & ſchiſma quo infectus erat diſſimulantem, infulas Gradenſes obtinuiſſe : ſuæ conſcium pravitatis , non ita celari eam poſſe dubitaſſe , quin Gradenſibus nota demum fieret: expilatis Gradi & Iſtriæ Xenodochiis & Eccleſiis, condignam, arrepta fuga, pœnam evaſiſſe: a Langobardis Forojulienſibus, quorum etiam opera, ſedem Gradenſem invaſerat , exceptum eſſe : Sedemque tenuiſſe in Caſtro Cormones. At quomodo ſedem in eo loco tenebat Fortunatus , quem ſibi elegerant Metropolitæ ſchiſmatici ? Res ita poteſt conciliari, ut eo in Caſtro poſt fugam hoſpitio exceptus fuerit; ibique poſtea, mortuo Marciano, ſchiſmaticorum Metropolita inauguratus, ſedem tenuerit.

Quo id anno factum, dubium incertumque. Joannis poſt Severum electi annos catalogi non indicant. Octo vel novem ſedis anni Marciano tribuuntur. Quo iſte objerit anno , non conſtat . Vitam adhuc egiſſe anno DCXXXIII. ſcribit Claudius Robertus apud Ughellium : quod veriſimile puto . Unde poſt hunc annum Fortunatum ſchiſmaticis præfuiſſe Metropolitam , dicendum eſt . Qua in ſerie Metropolitarum Aquilejenſium prætereo Maximum, de quo Ughellius in eorumdem tabulis, cujus in antiquis ac ſinceribus catalogis nulla mentio.

Schiſmate detecto Fortunati, *contra ejus nequitiam, & hæreſim* (verba ſunt Chronici Gradenſis) *Epiſcopi Venetiarum, & Hiſtrienſium, & Clerici Aquilejenſes, qui etiam Gradenſis Eccleſiæ, ſcripta ſua ad Honorium*

Pa-

Papam direxerunt. Idem autem Papa providens utilitati Sanctæ dictæ Eccleſiæ, Primogenium, ſubdiaconum & Regionarium ſedis Apoſtolicæ, ad eamdem Metropolim regendam direxit, dans & epiſtolam auctoritatis Apoſtolicæ, innodantem memorati Fortunati hæreſim. Epiſtolam recitat Dandulus Lib. cit. Cap. 7. Par. 1. & poſt ipſum Baronius ad Annum DCXXX. num. 14. Ejus inſcriptio eſt: *Honorius Epiſcopus ſervus ſervorum Dei, Dilectiſſimis Fratribus univerſis Epiſcopis per Venetiam & Iſtriam conſtitutis*. Summam profero. *Promovendum* jubet *loco Judæ* (quo nomine Fortunatum appellat) *alium vitæ probabilem ad regendum gregem Dominicum*. Idcirco *Primogenium, ſubdiaconum & Regionarium, Gradenſis Eccleſiæ Epiſcopali ordine cum Pallii beneditione* dirigit *conſecrandum*. Epiſtolas *ad Longobardorum Regem* a ſe datas memorat, *ut eumdem Fortunatum*, qui *relicta Republica ad gentes prolapſus erat, & abnegata concordiæ unitate Deo rebellis* factus eſt, *expeteret*, ſeu puniret: *nec non quaſcumque res* ab eo *ablatas repetere non moretur, ut & hi a quibus repetuntur, a partibus chriſtianiſſimæ Reipublicæ parem Juſtitiam conſequantur*.

Regionarios extitiſſe in Eccleſia Romana Diaconos, Subdiaconos, Notarios, Defenſores, res eſt notiſſima. Septem duntaxat ex quolibet ordine aſſumebantur, quibus hac dignitate ac nomine auctis aditus patebat, ut ad ſacra ſimul cum Pontifice convenirent. De his agit Baronius ad Annum DXCVIII. num. 16. Hoc honore inter Subdiaconos pollebat Primogenius. Conſecrandus dirigitur ad Inſulam Gradum Epiſcopus *cum benedictione Pallii*: quo ſacro ornamento Deceſſorum neminem, ſed primum inſignitum fuiſ-

fuiſſe Primogenium puto, ut eo ſigno Sedis Apoſtolicæ erga Metropolitas Gradenſes favor, protectio, ac ſpecialis cura ſignificaretur.

Rempublicam, quam a Fortunato relictam, ait Honorius, appellatque *Chriſtianiſſimam*, intelligit Venetam Baronius ad Annum DCXXX. num. 14. *Digniſſimo*, inquiens, *titulo & merito Venetam Rempublicam Chriſtianiſſimam nominat, utpote quæ relictis ſchiſmaticis, Romanæ Eccleſiæ adhæſiſſet*. Eo ſane titulo, ac merito Veneta Reſpublica noſtra nominanda eſt Chriſtianiſſima, quæ nunquam erroribus implicita, neque ullo diviſa ſchiſmate, Chriſtianam fidem illibatam jugiter ſervavit, ac unitatis centro Sedi Apoſtolicæ firma ſemper adhæſit. Falli tamen Baronium, prædictamque Rempublicam intelligi debere Græcorum dominationem in Italia, exiſtimo. Tunc enim Græcis Gradus etiam, & Iſtria ſuberant: eorumque dominium paſſim Reſpublica, & Sancta Reſpublica vocabatur. Pervia ac plurima exempla prætereo. Satis fuerit ſchiſmaticorum teſtimonium in libello ad Mauricium Imperatorem, ubi hæc habent: *Tempore ordinationis noſtræ, unuſquiſque Sacerdos in ſancta ſede Aquilejenſi cautionem ſcriptis emittimus, ſtudio & fide Ordinatoris noſtri, nos fidem integram ſanctæ Reipublicæ ſervaturos*.

Mandaverat ergo Honorius, ut ſchiſmaticus Fortunatus, qui expilatis Eccleſiis Gradi & Iſtriæ in ditione aut Republica Græcorum, ac onuſtus rapinis ad Langobardos fugerat, pro meritis puniretur. Hinc etiam colligitur, Fortunatum nondum Aquilejæ ſediſſe, cum Eccleſiam Gradenſem regendam ſuſcepit; nec enim ad Langobardos fugiens, Rempublicam reli-

liquiſſe, & unitate abſciſſa rebellis Deo factus diceretur.

Honorii epiſtolam datam ſcribit Dandulus anno DCXXX. eodemque anno eam recitat Baronius. In codice Ambroſiano, quem referunt Mediolanenſes Danduli editores, eadem epiſtola his verbis deſinit: *Deus vos incolumes cuſtodiat, dilectiſſimi fratres. Datum XII. Kal. Martii, Regnant. D.D. piiſſimo Auguſto Heraclio anno XVIII.* Imperium capeſſivit Heraclius die V. Octobris anno DCX. unde annus ejus decimus octavus incepit die eadem Octobris anni DCXXVII. ac majori cum parte anni inſequentis DCXXVIII. concurrit. Hinc iterum confirmatur, quod ſupra collectis Epiſcoporum Gradenſium annis confecimus: Primogenium videlicet ſedem Gradenſem conſcendiſſe anno DCXXVIII.

Litteras memorat Honorius ab ſe datas ad Regem Langobardorum. Hunc intelligo Adaloaldum, Agilulfi & Theodelindæ filium: nec enim ſcripſerit Pontifex ad Arioaldum, Arianæ impietatis profeſſorem, perfidum Regni Adaloaldi occupatorem: quem ejici debere, legitimo Rege reſtituto, datis ad Iſaacium Exarchum litteris, pro ſua virili ſtuduit Honorius. Patris Agilulfi regnum obtinuiſſe Adaloaldum anno DCXVI. probat Pagius. Regni ejus annos decem numerat Paulus Diaconus, qui deſinunt anno Chriſti DCXXVI. Annos computat tres ac decem Sigebertus Gemblaſenſis: unde mortem obiit Adaloaldus anno DCXXIX. Hunc annorum numerum retinendum cenſet Pagius, confirmatque diplomate, quod extat in Bullario Caſſinenſi, ad annum DCXXVIII. pertinente. Sigeberti, & Pagii calculis conſonant notæ chro-

Digitized by Google

chronologicæ , quibus in codice Ambroſiano ſignata legitur Honorii epiſtola. Hinc etiam confirmatur electionis Primogenii annus DCXXVIII. Quæ rurſus conſtat epocha , neque turbatur , tametſi ad Arioaldum ſcripſerit Honorius, qui jam ab anno DCXXIV. Adaloaldi regnum occupaverat , eique defuncto vel anno DCXXVI. vel DCXXIX. ſucceſſerat.

Extinctum in Eccleſia Gradenſi ſchiſma, cujus faces tulerat Fortunatus ; operamque ab Honorio collatam, ut unitas Eccleſiæ ibidem ac in Iſtria firmaretur , memorant Epigrammata, quæ Grutero , Caniſio, & Arringhio debemus. Notam chronologicam animadverſione dignam in eorum altero legimus. Verba ſunt, ſeu carmina :

Hiſtria teſtatur poſſeſſa hoſtilibus armis
Septies & decies ſchiſmate peſtifero.

Non anni ſeptem ac decem intelligi debent , ſed ſeptuaginta. Particula copulativa metri cauſa inter numeros poſita eſt. Soluta oratio hæc eſſet: *Hiſtria poſſeſſa hoſtilibus armis , & ſepties decies ſchiſmate peſtifero, teſtatur* apoſtolicam Honorii ſollicitudinem. Eumdem numerum, quæ duo ſequuntur carmina, evincunt; his enim Iſtrium ſchiſma Babylonicæ Judæorum captivitati comparatur : ac totidem captivitatis , & ſchiſmatis anni fluxiſſe dicuntur, nempe ſeptuaginta.

Eſſet ut impletum Hieremiæ voce canentis:
Ultio captivis tam numeroſa fuit.

Quibus annis elapſis, Iſtria , quam tenebat captivam ſchiſma & error, libertatem, Honorio validam opem ferente, obtinuit:

Sed bonus Antiſtes, Dux plebis, Honorius armis
Reddidit Eccleſiis membra revulſa ſuis.

Aqui-

Aquilejenſe & Iſtrium ſchiſma, Macedonio ſedem tenente, incepiſſe, diximus capite 2. Sed illud maxime erupit, cum incentore Paulino Synodus coacta eſt *ad dijudicandam generalem Synodum*, ut ait Pelagius I. Ea ſchiſmatica Synodus celebrata eſt anno DLVII. quo ſuffraganei Aquilejenſes Epiſcopi, conſenſu Romani Pontificis inſuper habito, Paulinum ſchiſmaticum elegerunt Metropolitam. Hinc ſeptuaginta anni ſi numerentur, annum habemus DCXXVII. Hoc autem circiter tempore, ſcilicet anno inſequente, in Eccleſiæ unitate Gradenſium, & Iſtriorum animos, quos dimovere curaverat Fortunatus, conſolidavit Honorius, miſſo ad Gradenſes catholico Primogenio *cum benedictione Pallii*.

Metropolitæ optimi ſtudio, & ſollicitudine, non ſolum catholici fortiori vinculo Sedi Apoſtolicæ juncti ſunt; ſed alii plures, repudiato ſchiſmate, ad unitatem revocati. Venetiarum, & Iſtriæ Eccleſias errore ſolutas, correctoſque Epiſcopos capite ſequente numerabimus. Jacebat vero pertinaciſſimus cum ſuis in ſchiſmate Metropolita Aquilejenſis. Marciano ſucceſſerat Fortunatus, quem ſchiſmatis æſtu furentem vidimus; hunc enim expilatorem Gradenſis, & Iſtrienſium Eccleſiarum, rebellem Deo hominem, anathematis vinculis innodatum, ſibi Metropolitam fecere Aquilejenſes: ac ipſe peſtilentiæ cathedram in Caſtro Cormones tenuit. Primogenii querelas ad Heraclium Imperatorem *de ſubtractione ſuorum ſuffraganeorum, quam Longobardi faciebant*, Dandulus refert Lib. 6. cap. 7. Par. 2. Ad id Langobardos ſuos Fortunatum inſtigaſſe; ipſumque pro viribus ſtuduiſſe, ut a Catholico Metropolita Epiſcopos Iſtriæ retra-

heret, eoſque teneret in ſchiſmate, aut iterum ſchiſmati implicaret, vero ſimillima res eſt.

Schiſmatis ejuſdem poſt Honorii tempora perdurantis argumentum ſuppeditat Jonas, Monachus Bobienſis, in Vita S. Euſtaſii, Luxovienſis Monaſterii poſt Columbanum Abbatis. In actis, quæ inter Bedæ opera extant, ubi de Agreſtino Monacho agitur, qui ſpretis paternis Euſtaſii admonitionibus e Cœnobio diſceſſerat, hæc habentur: *Ad Aquilejam tranſit: Aquilejenſes etenim diſcordabant a communione ſedis Apoſtolicæ... ob trium capitulorum diſſenſionem: quæ præſenti operi neceſſarium non duximus inſerere*. Bollandi Continuatores eadem acta ex Codicibus Mſſ. *primigenia phraſi*, ut ajunt, ediderunt ad Diem XXIX. Martii, in quibus textus integer ac ſincerus his verbis exhibetur: *Deinde vero ad Aquilejam pertranſiit: Aquilejenſes etenim deſciſcunt a communione ſedis Apoſtolicæ... ob trium capitulorum deſenſionem, ex qua diſcordia in longum incrementa manarunt: quod præſenti operi non eſt inſerendum*. Differentia patet hæc inter, ac priora Euſtaſii acta. Hæc deinde habentur: *Itaque veniens Aquilejam, ſocius ſtatim ſchiſmatis effectus, Romanæ ſedis a communione ſejunctus ac diviſus eſt: quicumque Romanæ ſedi conjungeretur, damnans, & in ſola Aquileja orthodoxam fidem retineri docens. Quo ſchiſmate imbutus, epiſtolam venenoſam, increpationibus plenam, ad Beatum Attalam per Aureum Adaluvaldi Regis Longobardorum Notarium dirigit*.

E vita migravit Columbanus in Monaſterio Bobienſi anno circiter DCXV. eique ſucceſſit Attalas. Anno ſequente DCXVI. Agilulfi patris regnum adeptus

tus eſt Adaloaldus : unde poſt hunc annum ſchiſma ebulliebat Aquilejæ , eoque imbutus eſt Agreſtinus. Verum quo etiam tempore Euſtaſii vitam ſcribebat Jonas, ſchiſma fovebant Aquilejenſes , ut ea verba evincunt : *Aquilejenſes etenim deſciſcunt a communione ſedis Apoſtolicæ* : & illa , *Diſcordia in longum incrementa manarunt*. Acta prædicta poſt annum DCXLIII. conſcripta a Jona fuiſſe , adnotant Viri docti ; ac licet cuique colligere ex ætate Sancti Eligii Epiſcopi, quem adhuc inter vivos agentem, laudat Jonas idem. Hoc igitur tempore , plures poſt Honorium annos, laborabat ſchiſmatis peſte Eccleſia Aquilejenſis.

CAPUT XVIII.

Epiſcoporum Aquilejæ ſucceſſio uſque ad Petrum ducitur, & emendatur. In ſchiſmate jacebant illi. Maximus, & Agatho catholici vindicantur Gradenſi Eccleſiæ . Expenduntur ſubſcriptiones Epiſcoporum, qui cum Agathone Synodo Romanæ interfuerunt . Quo ſenſu Maximus, & Agatho appellentur Epiſcopi Aquilejenſes, declaratur.

Epiſcopos Aquilejæ poſt Joannem ſucceſſores alto ſilentio præterit omnes uſque ad Petrum Paulus Diaconus. Hinc ſumi poſſe conjectura videtur ſchiſmatis in Aquilejenſi Eccleſia perdurantis : puduit enim fortaſſe ejus Provinciæ ſcriptorem, ejuſque Ec-

cleſiæ olim Diaconum Epiſcopos memorare, qui ab unitate Eccleſiæ, quam Iſtrii Antiſtites, ac etiam Venetorum aliqui amplexi fuerant, pertinaciſſime abhorrebant.

Eorum ſeriem cum ſedis annis exhibeo ex catalogo vetuſto Mſ. quem penes me habeo, cuique ſimilem edidit Muratorius Tom. 4. Anecdot. *Fortunatus Patriarcha ſedit annis III. Felix annis XIV.* Joannes *annis IX. Joannes alter annis X. Petrus annis XIII.* In catalogo Muratoriano, & apud Ughellium deeſt *Joannes alter*. Sed ille recenſetur in Mſ. cit. in altero quem recitant Forojulienſes quotannis in Eccleſia coram populo, & in Vitis Patriarcharum Belloni. Si anni colligantur Fortunati, Felicis, Joannis, & Joannis alterius, ſumma eſt annorum ſex & triginta. Poſt annum Chriſti DCXXXIII. Fortunatum Aquilejæ Metropolitam electum diximus: unde paulo poſt annum DCLXIX. ſediſſe Petrum dicendum eſſet. Sedis ejus initium illigat Ughellius anno DCLXX.

Longe differunt, quas putat rationes Paulus Diaconus. Petri obitum, ac Sereni ſucceſſionem his verbis recenſet Lib. 6. cap. 33. *Mortuo denique his diebus Patriarcha Petro, Aquilejenſis regimen Eccleſiæ ſuſcepit Serenus*. Cum ait, *His diebus* vita functum Petrum eſſe, obitus ejus annum indagandum admonet ex iis, quæ antea narraverat, ac poſtea narrare pergit. Itaque cap. antecedente 32. de Philippici Imperatoris acclamatione agit, deque cæde Juſtiniani Junioris, poſtquam iterum Auguſtus Orientem adminiſtravit: & cap. ſequente 34. Philippicum exhibet *in ſede Imperiali confirmatum*. Hæc periti Chro-

no-

nologi contigiſſe docent anno DCCXI. quo etiam objiſſe Petrum dicendum eſt. Tredecim vero ſedis ejus annis ſubductis, quot in catalogis numerantur, annus habetur DCXCVIII. quo regimen ſuſcepit ille Eccleſiæ Aquilejenſis. Eo certe anno ſediſſe Petrum ſcribit Dandulus Lib. 7. cap. 1. Par. 5. *Abſimarus*, inquiens, *Tiberius dictus*, *creatus eſt Imperator anno Domini DCXCIX.* Id anno præcedenti conſignat Pagius. Deinde ait Par. 8. *Eodem tempore Petrus Aquilejenſem gubernabat Eccleſiam*.

Hinc anni Epiſcoporum Aquileję ſuperius collecti ſex & triginta poſt annum DCXXXIII. numerati, nonniſi additis aliis octo circiter & viginti, Diaconi & Danduli calculos æquare poſſunt. Non tam in Epiſcopis lacunam putaverim, quam vitium in numero annorum, qui ſingulorum ſedi attribuuntur.

Placet aliis Epiſcoporum Aquilejæ ſeriem ante Petrum augere, additis Maximo & Agathone. Primum ſubſcriptum legimus in Secretario I. Synodi Lateranenſis ſub Martino I. celebratæ anno DCXLIX. Interfuit alter cum ſuffraganeis Romanæ Synodo ab Agathone Pontifice habitæ anno DCLXXIX. cujus epiſtola Synodica legitur in Concilio VI. Oecumenico Act. 4. Hinc etiam hoc evo ſchiſma Aquilejæ extinctum eſſe, colligit Noriſius in Diſſert. cit. cap. 9. §. 6. In Concilio namque Lateranenſi Maximus, qui dicitur *Venerabilis Epiſcopus Aquilejenſis Eccleſiæ*, hæc pronunciavit pro Synodo quinta contra tria capitula: *Contra Theodorum*, *& Origenem in ſancta quinta Synodo accuſator quidem nullus; ſed tantummodo eorum ſcripta ad accuſationem ipſorum & reprehenſionem ſuffeciſſe noſcuntur*. Subſcribit quoque

Agatho Synodicæ epiſtolæ Concilii Romani, ubi *ſancta Synodus ſub Auguſtæ memoriæ Juſtiniano Principe Conſtantinopoli congregata*, ſcilicet quinta laudatur.

Gradenſi Eccleſiæ utrumque vindicandam eſſe, exiſtimo. Neutrum exhibent catalogi Aquilejenſes. An Epiſcopos orthodoxia claros, doctrina illuſtres, ac illo ævo præſtantiſſimos neglexerint Aquilejenſes, eoſque impune rapuerint Gradenſes? Maximi munificentia *Monaſterium S. Mariæ de Barbano in Territorio Tergeſtino* conſtructum eſſe, boniſque locupletatum, narrat Dandulus Lib. 6. cap. 8. Patet vero, locum illum intra Gradenſis Eccleſiæ fines hac ætate fuiſſe, ac etiamnum extare.

Agathonem produnt Gradenſem Metropolitam ſuffraganeorum ſubſcriptiones in Synodo Romana. Ita ſe habent: *Agatho Epiſcopus S. Eccleſiæ Aquilejenſis, Provinciæ Iſtriæ &c. Cyriacus Epiſcopus S. Eccleſiæ Polenſis, Iſtriæ. Aurelianus Epiſcopus S. Eccleſiæ Parentinæ, Provinciæ Iſtriæ. Urſinus Epiſcopus S. Eccleſiæ Cenetenſis, Provinciæ Iſtriæ. Andreas Epiſcopus S. Eccleſiæ Vejentanæ, Provinciæ Iſtriæ. Gaudentius Epiſcopus S. Eccleſiæ Tergeſtinæ, Provinciæ Iſtriæ. Benenatus Epiſcopus S. Eccleſiæ Opitergienſis, Provinciæ Iſtriæ. Urſinianus Epiſcopus S. Eccleſiæ Raduanæ, Provinciæ Iſtriæ. Paulus Epiſcopus S. Eccleſiæ Patavinæ, Provinciæ Iſtriæ. Paulus Epiſcopus S. Eccleſiæ Altinenſis, Provinciæ Pentapolis*. Menda irrepſerunt, quæ corrigenda ſunt. Poſtremus Paulus, non *Altinenſis* Eccleſiæ, ſed *Ariminenſis* Epiſcopus dicendus eſt. In textu græco legitur ἐκκλησίας Ἀριμίνου. Pentapolis Provincia errorem manifeſtat. Paulus alter, qui dicitur *Patavinæ*, appellandus eſt *Altinenſis* Eccleſiæ

An-

Antiſtes, ut in græco habetur, Ἀλτινίνου. Nullus Urſinianus hac ætate *Paduanam* regebat Eccleſiam: unde legendum, *Eccleſiæ Petenenſis*. Andreas non *Vejentanæ*, ſed *Celejanæ Eccleſiæ* Epiſcopus appellatur in textu græco: ἐκκλησίας Κελαιάνης. Neutram, ſi placuerit, lectionem improbo. Errorem puto in Eccleſia Urſini Epiſcopi, quæ *Cenetenſis* dicitur. Urbis illius ſedes hoc ævo Epiſcopalis mihi dubia eſt, cujus ante hac nulla certa mentio. In græco legitur, ἐκκλησίας Κένου. Sicuti Vindemium in Synodo Gradenſi dicta ſub Elia exhibent codices aliqui *Cenetenſem* Epiſcopum, qui in aliis codicibus frequentius appellatur *Ceſenſis*, aut *Ceſſenſis*: ita ejuſdem loci Antiſtitem conjicio Urſinum.

Jam vero ſex Epiſcopi ad Iſtriam Provinciam pertinent, quæ Græcis hoc ævo parebat: iidemque Eccleſiæ Gradenſis Epiſcopum hactenus agnoverant Metropolitam. Fruſtra namque Fortunatum Aquilejenſem vidimus operam dediſſe, ut Iſtriæ Epiſcopos a Primogenio Gradenſi retraheret: quod ſeculo ſequente ab Aquilejenſibus intentatum, memorabimus. Digna eſt animadverſione *Provinciæ Iſtriæ* appellatio; ſiquidem *Longobardi hoc tempore* (verba ſunt Danduli Lib. 6. cap. 7. Par. 17.) *totam terreſtrem Venetiam poſſidentes, excepta Iſtria, illam vocare cœperunt Longobardiam*: unde nedum Iſtriæ Provinciæ dicuntur Epiſcopi, quod ea Provincia Diœceſeos Gradenſis Metropolitæ pars maxima eſſet; verum etiam forta*ſ*se ut ab Epiſcopis *Longobardiæ*, ſeu Venetiæ a Langobardis occupatæ diſtinguerentur.

Duo ſuperſunt Opiterginus, & Altinas, quorum urbes in Venetia erant. At hoc eodem tempore,

Dandulo teſte Lib. & cap. cit. Par. 9. & 11. earum Epiſcopi urbium, quas diruerant Langobardi, ad Inſulas confugerant. Ad Eccleſiæ unitatem redierant, Honorii Pontificis, & Primogenii opera; dici vero poterant Epiſcopi *Iſtriæ Provinciæ*; tum quia hoc etiam nomine Venetiam appellatam a Pelagio II. a Gregorio Magno, a Mauricio Imperatore vidimus; tum etiam quod major pars Eccleſiaſticæ Provinciæ, quam Gradenſis Metropolita regebat, ut dicebamus, in regione Iſtria poſita erat. Hinc dubitandi ratio nulla, quin Epiſcopi Altinas, & Opiterginus, a ſchiſmate jampridem revocati, Gradenſi catholico ſubeſſent.

Mirandum vero nemini eſt, *Aquilejenſes* dici Maximum, & Agathonem: erant enim Eccleſiæ Aquilejenſis catholici Metropolitæ. Nondum hæc metropolis in duas diſſecta fuerat: quod accidiſſe Gregorii II. auctoritate, capite ſequente oſtendendum eſt. Una Metropolis erat, quæ ſchiſmate lacerabatur: unum corpus cum duplici capite, altero ſchiſmatico, altero catholico: ac alteri ſana membra adhęrebant, alteri morboſa. Catholicus Metropolita dicebatur Gradenſis, quod in Inſula Grado eligeretur: ſchiſmaticus appellatus eſt Aquilejenſis, quod Joannes, catholico Candidiano oppoſitus, in vetere fuerit ordinatus Aquileja. Uterque ſe gerebat pro Aquilejenſi, ac ſibi jura in totam Metropolim vindicabat. Favore Langobardorum fruebatur ſchiſmaticus: Catholico favebant Romani Pontifices, Exarchi, & Venetorum Chriſtianiſſima Reſpublica. Id erat vero ſedis Apoſtolicæ conſilium, ut ſanato capite, in reliqua membra ſanitas diffunderetur: ac monſtroſo capite altero reciſo, omnibuſque

de-

demum Provinciæ Epiſcopis ad unitatem Eccleſiæ catholicæ revocatis, unitas quoque fieret in Metropoli Aquilejenſi. Res hæc ſeipſa patet, ejuſque certiſſima argumenta infra proferenda ſunt.

Jure itaque meritoque Maximus, & Agatho, quanquam in Inſula Grado ordinati, ſe Aquilejæ ſubſcripſerunt Epiſcopos in Synodo Lateranenſi, & Romana; cum revera catholici eſſent ejus Eccleſiæ, & Diœceſeos Metropolitæ. Hinc legitimus patet ſenſus epitaphii Honoriani, in quo non Iſtria ſolum, ſed Aquileja dicitur ad communionem ſanctam, Honorii ſtudio, retracta:

Errore veteri diu Aquileja cæca;
Diffuſam cœlitus rectam cum renuerit fidem,
Aſpera viarum, ninguidoſque montium calles
Calcans indefeſſus, glutinaſti prudens ſciſſos.

Hoc referunt Arringhius in Roma Subterran. Lib. 2. cap. 8. & Gruterus pag. MCLXIX. num. 6. Id ſane perfecit Honorius, cum diris devoto Fortunato ſchiſmatico, catholicum Primogenium in Inſula Grado conſecrandum deſignavit Metropolitam, dictum quidem ex loco ordinationis & incolatus Gradenſem, re tamen ipſa Aquilejenſem.

CA-

CAPUT XIX.

Sergii Romani Pontificis opera, ſchiſma tollitur Aquilejenſe. Bedæ auctoritas vindicatur. Petrus Aquilejæ Epiſcopus ad unitatem redit. Pallio Serenum exornat Gregorius II. Scinditur in duas Metropolis Aquilejenſis. Ejus unitatem ſervare ſtudebant Romani Pontifices.

AD ea devenimus tempora, quibus, aſpirante Numine ſupremo, vetus Aquileja, errore depoſito, ſchiſmate ejurato, ad veritatem rediit, ac unitatem catholicæ Eccleſiæ. Quanquam Honorii ætate ſchiſma illud extinctum non eſt, ſchiſmaticorum tamen æſtus deferbuit: & quæ primum pertinacia fuerat, annorum ſucceſſu imperitia facta eſt. Quod incepit Gregorius, quod Honorius perſequutus eſt, perfecit denique Sergius, revulſis membris Eccleſiæ catholicæ compagi reſtitutis. Rem narrat Venerabilis Beda in Libro de ſex ætatibus mundi his verbis: *Tiberius* (Abſimarus) *annos VII. Synodus Aquilejæ facta ob imperitiam fidei, quintum univerſale concilium ſuſcipere diffidit, donec ſalutaribus Beati Papæ Sergii monitis inſtructa, & ipſa huic cum cæteris Chriſti Eccleſiis adnuere conſentit.*

Vita functus eſt Beda anno DCCXXXV. Abſimarus Imperium adeptus eſt anno DCXCVIII. cum Sergius annum ageret XII. Pontificatus; unde rei teſtimonium perhibet venerabilis Abbas, quam viribus, æta-

ætate, doctrina florens optime noſſe, ac ſcire potuit. Qui Honorio ſchiſmatis extincti gloriam attribuunt, reſponſa varia excogitarunt. Nonnulli putant, erraſſe Bedam. Alii interpretatione adhibita, ejus verba declarant. Plerique demum exiſtimant, poſt Honorii ætatem, non Epiſcopos ſed aliquos de plebe, adhuc hæſitantes de tribus capitulis, verum dogma a Sergio accepiſſe; vel etiam virus illud, quod animis Aquilejenſium inſederat, ſæpius recruduiſſe.

Hac temporis intercapedine Honorium inter ac Sergium, depoſitum ab aliquibus ſchiſma, ab aliis inſtauratum fuiſſe dici quidem poteſt, probari nunquam Et quidem Maximo, & Agathone catholicis Eccleſiæ Gradenſi vindicatis, in auras abit hæc reſponſio. Ait vero Beda, *Synodum Aquilejæ* Sergii Papæ monitis inſtructam, *cum cæteris Chriſti Eccleſiis* quintam Synodum, ac trium capitulorum damnationem recepiſſe; ut mirum ſit, Bedam intelligi potuiſſe *de aliquibus e plebe*, quos adhuc diffidentes ad rectam fidem retraxerit. Nihilo melior ea eſt interpretatio, quæ colligit ex adverbio *Donec*, loqui Venerabilem Abbatem de Synodo Aquilejæ ante Sergium congregata: quam ſcilicet Paulinus præcipuus incentor ſchiſmatis coegit *ad Synodum generalem dijudicandam*, ut ſcribit Pelagius I. Quis enim ſanæ mentis aut cogitet, aut ſcribat, Sergii Papæ monitis inſtrui potuiſſe Synodum a Paulino congregatam, ſeculo integro ac fere dimidio anteriorem?

Deceptus denique dicitur Beda. Quo jure, qua ratione? Deceptionis & erroris argumenta poſtulamus. Illi ſane conſentit Paulus Diaconus Lib. 6. Cap. 14. ubi ejus verba tranſcribit: *Hoc tempore*, inquiens,

Sy-

Synodus Aquileja facta ob imperitiam fidei quintum univerſale concilium ſuſcipere diffidit, donec ſalutaribus Beati Papæ Sergii monitis inſtructa, & ipſa cum ceteris Chriſti Eccleſiis annuere conſentit. Forijulii natales habuit Paulus, ubi ſedem poſt Calliſtum tenuerunt Aquilejenſes Metropolitæ: Aquilejenſis Diaconus fuit: floruit, ac vita functus eſt Seculo VIII. Deleti ſchiſmatis tempora nullo negotio addiſcere potuit: ac Bedam regionis procul diſſitæ ſcriptorem, ſi in errorem incidiſſet, ſine dubio emendaſſet. Tertius quoque teſtis adeſt, Scriptor coævus Vitæ Sergii apud Anaſtaſium. Verba ejus ſunt: *Hujus* (Papę Sergii) *temporibus Aquilegienſis Eccleſiæ Archiepiſcopus, & Synodus quæ ſub eo congregata eſt, qui Sanctum quintum univerſale Concilium utpote errantes ſuſcipere diffidebant, ejuſdem Beatiſſimi Papæ monitis atque doctrinis inſtructi, converſi ſunt: iidemque venerabile concilium cum ſatisfactione ſuſceperunt*. Clare & perſpicue docemur, non aliquos de plebe, ſed Archiepiſcopum Aquilejæ; non Synodum Paulini, ſed poſteriorem ab eodem Archiepiſcopo congregatam, ad unitatem Eccleſiæ, Sergii ſtudio & opera, errore fugato rediiſſe.

Archiepiſcopum Aquilejenſem, quo ſedente hæc facta ſunt, Petrum indicant notæ chronicæ. Arripuit enim Imperium Tiberius Abſimarus anno DCXCVIII. cum in ſede Romana duodecimum circiter annum ageret Sergius; eodemque anno Aquilejæ cathedram aut conſcenderit, aut certe jam teneret Petrus. Romanam rexit Eccleſiam Sergius uſque ad Septembrem anni DCCI. cum Tiberius tertium Imperii numeraret annum. Hoc intervallo quatuor circiter annorum, Eccle-

ſiæ

ſiæ unitatem amplexum eſſe Petrum, dicendum eſt: Synodum Aquilejenſem refert Sigebertus Gemblacenſis ad Annum DCXCVIII. *Synodus*, inquiens, *Aquileja facta quintam univerſalem Synodum... Suſcipere diffidit, quam Sergius Papa ſalubriter redarguit, & ad concordiam reducit*: eamdemque a Petro congregatam lego in vetuſto catalogo Mſ. ſæpe citato: *Hujus* (Petri) *tempore, univerſalis Synodus apud Aquilegiam celebratur*.

Placet aliis id referre ad Sereni ætatem. Repugnant chronicæ prædictæ notæ, a Beda, Vitę Sergii Scriptore, & Paulo Diacono aſſignatæ: nam ſucceſſit Petro Serenus anno circiter DCCXI. quo Conſtantinus Romæ ſedebat, ac Imperium Philippicus poſt Juſtinianum iterum Auguſtum occupavit.

Sereno tamen, rogante Luitprando Rege Langobardorum, Pallium a Gregorio II. conceſſum, diſſectamque in duas Metropolim Aquilejenſem, colligimus ex ejuſdem Gregorii ad Serenum datis epiſtolis mox referendis. Catholicus idem Archiepiſcopus jure veluti poſtliminii ſibi totam antiquam Provinciam Aquilejenſem ſubjicere nitebatur: Iſtrioſque Epiſcopos, qui Gradenſi Metropolitæ parebant, ab ejus obedientia retrahebat. Ad Gregorium confugerant Gradenſes, & Iſtrii, ut Serenum cohiberet: eorumque *ſuggeſtionem* Tiberius memorat in Synodo Mantuana anno DCCCXXVII. celebrata, his verbis: *Item excerptum ex ſuggeſtione Hiſtrienſium, & Venetiarum ad Papam Gregorium miſſa, quam præfatus Tiberius Synodo obtulit, cujus initium eſt: Suggerendo ter Beatiſſimo, atque Apoſtolico, totiuſque orbis terrarum capiti, D. Gregorio univerſali Papæ, cuncti Epiſcopi Hiſtrienſium,*

ſium, & Venetiarum Provinciæ, ſeu cuncta generalitas populi Gradenſis Oppidi & plebis, ultimi ſervuli veſtri. Ubi Venetiarum nomen cum legis, Venetiam maritimam intellige, non terreſtrem aut mediterraneam: *Longobardi* enim *hoc tempore* (verba Danduli ſunt Lib. *6.* Cap. *7.* Par. 17.) *totam terreſtrem Venetiam poſſidentes, excepta Hiſtria, illam vocare cœperunt Longobardiam: maritima vero regio ab eorum jugo exempta Venetiæ nomen antiquum obtinuit, certis limitata confiniis a Grado uſque ad caput Aggeris.*

Metropolitæ Gradenſis, & Iſtriorum votis annuens Gregorius, litteras ad Serenum dedit, quarum inſcriptio eſt: *Gregorius Epiſcopus ſervus ſervorum Dei dilecto Fratri Sereno &c.* Hæc illarum ſumma eſt. *Ad cumulum tui honoris, precibus eximii filii noſtri Regis flexi... pallium tibi direximus: interdicentes, & inter cætera prohibentes, ne unquam aliena jura invaderes... Nunc vero, ut cognovimus, Gradenſis Patriarchæ niteris invadere jura.. Præcipimus, ne ullo modo terminos ab eo poſſeſſos accedas: (a) ſed de his habeto, quæ uſque modo poſſediſti, nec amplius finibus gentis Longobardorum exiſtentibus greſſum tendere præſumas.* Aliæ extant epiſtolæ ea de re ſcriptæ *ad Donatum Patriarcham* (Gradenſem) *& Marcellum Ducem Venetiarum*, ubi hæc habentur: *Communitas veſtra petiit, contra Forojulienſem Antiſtitem agentes, quod cupiebat invadere ditionem Gradenſis Patriarchæ... Cui, ut Eccleſiam prædictam non attentet, ex auctoritate Apo-*

(a) In Chron. Jo: Sagornini: *Sed ſolum ſufficiat in his, quæ modo uſque poſſediſti: nec amplius quam in finibus proculdubio gentis Longobardorum exiſtentibus greſſum tendere præſumas.*

Apoſtolica interdiximus: *eique conſenſum ad hanc eſſe conditionem ſciatis*. Has recitat epiſtolas Dandulus Lib. 7. Cap. 2. & poſt ipſum Baronius ad Annum DCCXXIX. num. 3.

Plura diſcimus. Error eſt in Catalogis Aquilejenſibus, in quibus unus tribuitur Sereno Pontificatus annus. Petro ſucceſſit ille anno circiter DCCXI. Romanam cathedram non conſcendit Gregorius II. ante annum DCCXV. Ad annum uſque DCCXVII. vitam Serenum traduxiſſe, capite ſequente dicendum eſt. Non Petro, ſed Sereno Pallium conceſſit Gregorius: neque Serenum ipſo exornaſſet, niſi precibus Langobardi Regis conſtrictus. Annuit Pontifex, ut jure potiretur Metropolitico, in duas diſſecta Aquilejenſi Metropoli, ac utrique Metropolitæ Provinciæ parte aſſignata. Iſtriæ, ac Venetiæ maritimæ parebant Gradenſi: intra fines Langobardiæ, ſeu Venetiæ Mediterraneæ cohibitus eſt Aquilejenſis. Hic vero *Forojulienſis* Epiſcopus appellari ſolebat, ſumpta denominatione vel a Provincia Forojulienſi, vel ab urbe Provinciæ poſt Aquilejam principe Forojulio, ubi Serenus obiit; ac ſucceſſores, ejectis Julienſibus Epiſcopis, ſedem collocarunt, teſte Diacono Lib. *6*. Cap. 45. & 51.

Illud animadverſione digniſſimum eſt: Gregorium Papam Luitprandi Regis, qui anno DCCXII. regnum obtinuit Langobardorum, precibus flexum annuiſſe, ut Aquilejenſis Præſul ad unitatem Eccleſiæ revocatus, Pallio exornaretur, & jure potiretur Metropolitico. Rem narrat Gregorius ipſe relatis verbis: eamdemque refert Dandulus Lib. 7. cap. 2. Par. 13. *Ad hujus Regis*, inquiens, *preces Gregorius*

Papa

Papa miſit Pallium Sereno Antiſtiti Aquilegienſi, qui Petro ſucceſſerat, quod a tempore renovationis ſuæ ſedis Prædeceſſores ſui obtinere minime potuerunt. Renovationem ſedis intelligit ſchiſma Aquilejæ extinctum. Dum ait, Sereni *Prædeceſſores* poſt ſchiſma deletum obtinere Pallium non potuiſſe, indicare videtur, non ipſum Serenum, neque Petrum, ſed Joannem ſaltem Petri Deceſſorem catholicam unitatem amplexum eſſe. Qua in re Bedæ calculis hæreo, quibus hæc inſtauratæ catholicæ unitatis gloria Petro aſſeritur, ſedis ejus chronotaxi poſita, de qua ſuperiore capite dictum eſt.

Hinc vero certum fit, compertumque: Romanorum Pontificum conſilium fuiſſe, ut ſchiſmate extincto, Aquilejenſis Metropolis non ſcinderetur: unus eſſet totius Provinciæ Metropolita, qui uſque modo in Inſula Grado eligebatur: eique ſe Epiſcopi ad fidem revocati ſubjicerent, ipſumque pro vero Aquilejæ Archiepiſcopo agnoſcerent. Cur enim Petro, quem inſtauratæ catholicæ unitatis meritum commendabat, pallium negatum? Cur idem Sereno, nonniſi rogante Luitprando, conceſſum? Ne ſcilicet duo fierent Archiepiſcopi, ac ſcinderetur in duas Metropolis Aquilejenſis.

CAPUT XX.

Diſſidia narrantur inter utrumque Metropolitam. Jus integrum ſibi vendicabat Aquilejenſis in Provinciam univerſam. Metropolitarum Aquilejæ ſucceſſio digeritur uſque ad Sigualdum.

DIviſionem Aquilejenſis Metropoleos peperit ſchiſma; ex ea inter utrumque Metropolitam pugnaciſſima orta ſunt diſſidia. Hanc partem, veluti ſchiſmatis appendicem attingere, operæ pretium eſt. In Provinciam univerſam ſibi jus vindicatum a Sereno, ejuſque conatus a Gregorio II. cohibitos, narravimus capite ſuperiore. Idem ſucceſſor Calliſtus intentavit, bonis quibuſdam Eccleſiæ Gradenſis occupatis, quæ mox reſtituit Gregorii III. epiſtolis admonitus, ut ſcribit Dandulus Lib. 7. cap. 3. Par. 10.

Quo hæc anno contigerint, conſtituendum eſt. Baronius ad Annum DCCXXIX. num. 2. ait: *Hoc tempore, nempe triennio antequam ſucceſſor hujus* (Gregorii II.) *itidem Gregorius, tertius ejus nominis dictus, ſederet, contigerunt juſta querela Donati Gradenſis Patriarchæ adverſus Serenum Forojulienſem Antiſtitem, cujus rei cauſa reperiuntur a* Gregorio (II.) *Pontifice ſcripta epiſtolæ*. Menſe Martio anni DCCXXXI. Pontifex creatus eſt Gregorius III. unde triennium elapſum anno DCCXXVIII. inceperat. *Hoc* igitur *tempore* (verba ſunt Baronii num. 3.) *præerat Serenus*

nus Epiſcopus Eccleſiæ Forojulienſi : eodemque anno datæ pro Gradenſibus a Gregorio II. epiſtolæ, quę ſuperius recenſitæ ſunt : atque demum anno circiter inſequente DCCXXIX. Serenus obiit, eique ſucceſſit Calliſtus.

Ita conjeciſſe Baronium puto ex epiſtolis Gregorii III. ad Calliſtum datis, quarum initium eſt: *Gregorius Epiſcopus ſervus ſervorum Dei Calliſto &c. Jam triennium evolutum deceſſoris noſtri tempore*. (Plura deſunt.) *Cognovimus enim, quia aviditate devictus abuſu illicito pervaſeris poſſeſſiones &c.* Dictum triennium numerat Baronius a Sereni obitu, ſive datis ad ipſum a Gregorio II. epiſtolis. At ea priora verba ſic legi debent : *Jam triennium evolutum a Deceſſoris noſtri tempore* : adeoque conficitur, prædictum triennium ab extrema Gregorii II. die numerandum eſſe. Itaque datæ ſunt Gregorii III. litteræ anno DCCXXXIV. quo jam ſedebat Aquilejæ Calliſtus. Quo ipſe anno infulas obtinuerit, ac mortem objerit Serenus, nondum patet.

Dandulus Lib. 7. cap. 3. ait : *Urſus Dux confirmatus eſt anno Domini DCCXXVI.* & Par. 1. *Sereno quoque Aquilegienſi Præſuli Calliſtus... annitente Luitprando Rege, ſucceſſit*. Quæ Serenum anno circiter eodem DCCXXVI. obiiſſe, eidemque ſuffectum Calliſtum, indicare videntur. Longe diverſam innuit epocham Paulus Diaconus. Refert ille Lib. 6. capite 44. Theodonis II. Bajoariæ Tetrarchæ profectionem, *orationis gratia*, ad urbem Romam : capite 45. de obitu Sereni agit, ac ſucceſſione Calliſti : capite 46. Saracenorum memorat irruptionem in Hiſpanias, ac decem poſt annos in Gallias : & capite 47. obſeſſam

nar-

narrat ab eiſdem Saracenis Conſtantinopolim. Romam profectum eſſe Theodonem anno DCCXVI. perſpicue oſtendunt Pagius, & Marcus Hanziſius Tom. 1. German. Sacr. in S. Ruperto, primo Salisburgenſium Epiſcopo. Plurium annorum intervallum poſt annum DCCXI. res occupant Saracenicæ. Conſtantinopoleos demum obſeſſio communi calculo conſignari ſolet anni DCCXVII. Auguſto menſi. Pergit Diaconus recenſere capite 48. translationem corporis divi Auguſtini a Luitprando factam, quam peritiſſimi Chronologi adligant anno DCCXXII. Ravennæ obſidionem ab eodem Luitprando paratam legimus capite 49. quæ anno contigit DCCXXVI. Narratque demum capite 51. inimicitias Pemmonis, Forojulienſium Ducis, contra Calliſtum, qui Forumjulium, ejectis Julienſibus Epiſcopis, e Caſtro Cormones tranſtulit ſedem. Quæ omnia ſatis indicant, per hæc tempora non Serenum, ſed Calliſtum Aquilejenſem rexiſſe Eccleſiam: ipſumque Serenum non diu poſt annum DCCXVI. e vita migraſſe, anno ſcilicet DCCXVII. aut inſequente.

Certum illud eſt: datas ad Serenum non eſſe a Gregorio II. epiſtolas poſt annum DCCXXIV. Tunc enim vitam agebat Donatus Gradenſis, qui contra Serenum Pontificis opem imploravit. At anno DCCXXV. ante Martium jam obierat Donatus. Extant Gregorii II. epiſtolæ, *Epiſcopis & cuncto a Deo ſervato populo Venetiæ ſeu Iſtriæ* inſcriptæ, in quibus *Petrus Polenſis Antiſtes*, qui *canonica deſpiciens ſtatuta, ab hac luce ſubtracto ... Donato Gradenſi, ſuam deſerens, ad Eccleſiam tranſiit ſecundam* (Gradenſem,) indignus ea ſede judicatur: ac novi Metropolitæ, qui fuit Antonius,

nius,

filius, electio indicitur. Has ex codice Triviſaneo luce publica donavit epiſtolas Venetus Ughellii editor. Datę ſunt *Kalendis Martiis imperante D. noſtro piiſſimo Auguſto Leone ſecundo coronato magno Imperatore anno nono, ſed & Conſtantino majore Imperatore ejus Filio anno VI. Indictione octava.* Calendæ Martii, & octava indictio annum deſignant DCCXXV. Jam ergo obierat Donatus, ac ſedem Gradenſem occupaverat Petrus. Annus ejus emortualis fuerit antecedens DCCXXIV. Septem illi ſedis anni tribuuntur a Dandulo aliiſque: unde anno DCCXVII. Gradenſem regere cœpit Eccleſiam. Contra Serenum, qui ſibi in Provinciam univerſam jus arrogabat, Gregorii II. ſubſidium poſtulavit: ad eumque increpatorias dedit Pontifex Epiſtolas, quas recenſuimus. Datæ illę fuerint anno eodem DCCXVII. aut inſequente: quo etiam ævi ſpatium finivit Serenus.

Vitam agebat Sereni ſucceſſor Calliſtus anno DCCXXXIV. ut ex epiſtolis Gregorii III. ad ipſum datis oſtendimus. Quo objerit anno, latet. Documentum extat apud Ughellium in Tabulis Cenetenſibus Venet. edit. ex Urbis Cenetæ Statuto vulgatum; quod actum dicitur, *Præſentibus Rege Liutprando digniſſimo, Calliſto Patriarcha Aquilejenſi ſanctiſſimo, Ludovico Duce Carinthiæ Sereniſſimo, aliiſque*; datumque legitur, *Anno Dominicæ Incarnationis DCCCCXCIV. Indictione VII. Die* III. *Menſis Aprilis*. Error eſt in anno, quem Indictio ſeptima definit trigeſimum nonum ſupra ſeptingenteſimum. Hoc igitur adhuc anno vitam traduxiſſe Calliſtum, colligi poſſet, niſi fides nutaret monumenti, quod veluti fictitium plerique rejiciunt.

Calliſto ſucceſſit Sigualdus. Hic anno DCCLXXII.

in-

inter vivos erat, ſedemque tenebat Aquilejenſem Forl-julii. Extat Privilegium Tom. 2. Bull. Caſſinenſ. Brixiano S. Juliæ Virginum Deo devotarum Monaſterio ab eodem Sigualdo conceſſum, quod *conſcriptum* notatur *Anno inviſtiſſimorum Principum Deſiderii, & Adelgis XVI. & XIV. ſub Indictione XII.* datumque *Ticini in urbe Regia III. idus Octobris*. Errorem indictionis corrigit ex Apographo Mſ. quod in eodem Monaſterio adſervatur, Jo: Andreas Aſtezatus Monachus Caſſinenſis in Diſſertatiuncula II. De anno primo Deſiderii Regis: legendumque monet, *ſub indictione XI.* Docet etiam, probatque optimis argumentis, Deſiderium Langobardorum regnum indeptum eſſe anno DCCLVII. incerta die Januarii, aut Martii; eique ſocium in Regno adſcitum Adelgiſum anno DCCLIX. Junium inter, atque Auguſtum. Hinc notæ chronicæ prædicti Privilegii annum deſignant cadentem DCCLXXII. cujus Septembri menſe indictio undecima jam cœperat: quo adhuc vitam traducebat Sigualdus.

In libello Maxentii, qui lectus eſt in Synodo Mantuana ſæpe citata, Sigualdus idem dicitur juxta Mſ. apographum, quod habeo, *uſque ad Franciſci* (Regni, vel Regis) *tempora vixiſſe*. Franci dicebantur *Franciſci* a Langobardis & ſclavis, qui (adnotante Cangio) gentilitia & appellativa nomina efferebant plerumque in *iſc*. Unde in veteribus chartis & libris non raro occurrunt, *Saraceniſcus*, *Longobardiſcus*, *Thraciſcus*, *Metiſcus*, *Sclaviſcus*, *Græciſcus*, & alia id generis plura. Carolus Magnus Langobardorum in Italia regnum obtinuit, devicto Deſiderio, captivoque in Gallias ducto, anno DCCLXXIV. Duplicem

regni hujus epocham diſtinguit Pagius : alteram a menſe Aprili ductam : alteram a die incerta poſt nonam menſis Maii, & ante decimam tertiam Junii : ác utrámque exemplis comprobat. An ergo objerit, Sigualdus anno DCCLXXIV? Non ita preſſe Maxentiani libelli verba accipienda, puto : neque oriente Francorum Regno in Italia, ſtatim neceſſe eſt occidiſſe Sigualdum.

Ad annum DCCLXXVI. vitam ejus prorogandam, cenſeo. In Fragmento Annalium Francicorum apud Caniſium Vol. 2. Par. 2. edit. Baſnag. refertur ad Annum DCCLXXIV. *Longobardos venientes de civitatibus Italiæ ſubdidiſſe ſe in dominio glorioſi Caroli*. Rotgaudo, vel Ruotgando Ducatus Forojulienſis confirmatus eſt. Hic paulo poſt rebellionem movit, quam Carolus ducto exercitu in Provinciam Forojulienſem compreſſit, rebellionis auctore occiſo. Id anno contigit DCCLXXVI. Verba ſunt Annaliſtæ : *Carolus Rex Italiam ingreſſus eſt, per partes Forijulii iter agens. Ruotgandus occiſus eſt : & Dominus Carolus Rex apud Tarviſium Civitatem paſcha celebravit : & captis Civitate Forijulii, Tarviſio, cum reliquis civitatibus, quæ rebellarant, diſpoſuit eas omnes per Francos : & iterum in proſperitate, & victoria reverſus eſt in Franciam*. Hæc eadem narrant, eumdemque annum DCCLXXVI. deſignant cæteri Annalium Francicorum ſcriptores. Dum Forijulii (*in Cividale*) Carolus verſaretur, id accidit quod refert Monachus Sangallenſis apud Caniſium Vol. 2. Par. 2. edit. Baſnag. Lib. 2. de geſtis Caroli Magni num. 27. *Exin ad ulteriora*, inquiens, *progreſſus venit Religioſiſſimus Carolus ad Urbem Friolanam... Contigit autem, ut eodem tempore*

pore Epiſcopus Civitatis illius, aut (ut modernorum loquar conſuetudine) Patriarcha, occaſui vitæ appropinquaret. Ad quem cum Religioſiſſimus Carolus viſitandi gratia properaret, ut ſucceſſorem ſuum ex nomine deſignare deberet, ille religioſe admodum ex imis præcordiis ſuſpiria trahens: Domine, inquit, Epiſcopatum iſtum diu ſine aliqua utilitate vel profectu ſpirituali retentum, judicio divino & veſtræ diſpoſitioni relinquo, ne ad cumulum peccatorum, quem vivens exaggeravi, etiam mortuus aliquid ſuperinjicere apud inevitabilem, & incorrumpendum Judicem deprehendar. Quod ſapientiſſimus Carolus ita cepit, ut eum Antiquis Patribus non immerito coæquandum judicaverit. Cum autem in eadem Regione aliquantiſper demoratus eſſet ..... donec Epiſcopo decedente, dignum ei ſubſtitueret &c.

Hunc Sigualdum fuiſſe, probant circumſtantię temporum, Epiſcopatus *diu* exercitus, ac novi Italiæ Regis arbitrio ſucceſſoris deſignatio relicta. Hinc Maxentii verba ſic intelligi debent, ut ille vixerit uſque ad Regis Francorum in Provinciam Forojulienſem adventum, ejuſque dominationem ibi contra rebelles firmatam. Sigualdi in catalogis anni ſedis numerantur XLII. unde forte Metropolita creatus eſt anno DCCXXXV. Sed etiam Calliſto deceſſori anni tribuuntur XL. qui nulla conciliari poſſunt ratione: adeoque *diu* Aquilejenſi Eccleſiæ Sigualdum præfuiſſe conſtat: ſed annus latet, quo ipſe inauguratus eſt, ac objerit Calliſtus.

Jus in Iſtriam, quod ſibi Serenus, & Calliſtus vendicaverant, poſtulabat etiam Sigualdus, cui Langobardi, eorumque Rex Deſiderius favebant. Ex libello Maxentii novimus, *Populi Polenſis, quæ civitas caput*

eſt Iſtriæ, decretum ab univerſo & cunćto populo miſſum ad Sigualdum Patriarcham ;... ut electum ab eis Epiſcopum ordinaret. Tempori ſerviebant hoc ævo Iſtriæ Epiſcopi. Antiquum ſuum Metropolitam optabant; ejuſque ordinationem expetebant, qui nuper eligebantur Antiſtites. Gradenſi tamen parere cogebantur : ſed eidem obedientia negata, eo uſque proſiluere, ut ſibi invicem manus imponerent.

Dandulus Lib. 7. cap. 12. Par. 8. ait : *Huic Papæ* (Stefano III. aliis IV.) *Joannes Patriarcha* (Gradenſis) *de Rege Longobardorum, qui Clerum & Populum Iſtrienſem perſonaliter & realiter affligebat; & de Epiſcopis Iſtriæ, qui ejuſdem favore a juriſdictione ſua ſe ſubtraxerant, mutuo ſe conſecrantes, per ſuas litteras querelam depoſuit, & opportunum requirit remedium*. Stefanus III. quem alii IV. vocant, ordinatus eſt Pontifex anno DCCLXVIII. die VII. menſis Auguſti. Joannes Gradenſis ab anno DCCLXVI. Sedem tenebat. Deſiderius Regi Aiſtulfo ſucceſſerat anno DCCLVII.

Joannis epiſtolas ad Stefanum, editas habemus e Codice Triviſaneo apud Ughellium in Tabulis Gradenſibus. Certiorem reddit Sanctiſſimum Pontificem Præſul Gradenſis: *quod gens perfida Longobardorum ſua Eccleſiæ invaſerat hereditatem*, ideſt Iſtriam Provinciam: *inſuper & fidem abdicaverat paſtoralem*, Epiſcoporum animis minarum violentia a proprio paſtore alienatis. Rogat enixe, *ut de manibus gentis eripiatur Longobardorum* eadem Provincia cum grege Chriſti: *Cognoſcentes*, inquit, *magnam & ineffabilem Dei miſericordiam, quam erga Ravennatium Civitatem, eique pertinentia Oppida & fines, per veſtram Apoſtolicam au-*

auctoritatem & defenſionem oſtendere dignatus eſt. Ex his conjicere facile poſſumus, datas a Joanne epiſtolas anno, DCCLXX. quo *reddita ſunt* a Deſiderio, ut referunt Continuator Fredegarii, & Annaliſta Petavianus, *civitates plurimæ Sancti Petri*, opera Bertradæ, Pippini uxoris, Reginæ Francorum, in eo quod habuit cum Rege Langobardorum in Italia colloquio. Hoc etiam tempore occupatam a Langobardis Iſtriam diſcimus: quod illis facillimum fuit, poſtquam Ravennam invaſerant, depulerantque Italia Exarchos. Plurimis vexabant illi Provinciam moleſtiis; ac etiam Sigualdo Aquilejenſi faventes, eidem ſubjicere Iſtrios Eccleſiarum Antiſtites minis, ac violentia nitebantur. Seceſſerant a Gradenſi plerique; ſed a Sigualdo cum initiari aut ordinari tuto non poſſent, ſe invicem contra fas omne conſecrabant. Utrumque iniquum facinus Langobardorum, & Epiſcoporum Iſtriæ refert Joannes Pontifici, ab eoque promptum validumque remedium & auxilium implorat.

Occupatam afflictamque a Langobardis Iſtriam dico, minime Græco Imperatori ereptam, cujus jugum non ante excuſſit, quam a Pippino Caroli Magni filio, regno Patris adjungeretur anno circiter DCCLXXXIX: ut adnotat Pagius. Rem docet Dandulus Lib. 7. cap. 15. Par. 8. *Provinciæ quoque Iſtria*, inquiens, *ab Imperio Conſtantinopolitano ſubtracta* (non a regno Langobardorum) *Joannes per Carolum Dux ordinatus eſt*. Id ante in Vita Caroli Magni tradiderat Eginardus, ubi ait: Sibi Carolum obnoxias feciſſe *oppoſitam in altera Danubii ripa Daciam, Hiſtriam quoque, & Liburniam, exceptis maritimis civi-*

tati-

tatibus, quas Imperio Conſtantinopolitano reliquit. Aliud extat inſigne vetuſtum monumentum in codice Triviſaneo lati ſub Carolo Magno Judicii, quo liberantur Iſtrii Populi acerbis petitionibus Joannis, injuſtiſque tributis ab eo impoſitis. Invicem comparantur quæ novus Dux tributa exigebat, cum iis quæ Græcorum tempore ſolvebantur: nec ulla dominatus Langobardorum mentio habetur; ut ab his afflictam quidem occupatamque Iſtriam aliquo ſpatio temporis, nunquam vero ab illis ſubjugatam in eorum fuiſſe ditione, certo conſtet. Capite 1. inter Epiſcoporum querelas hæc verba legimus: *Quando Miſſi Imperii veniebant, in Epiſcopio habebant collocationem*; & capite 9. *Nos interrogaſtis de Juſtitiis Dominorum noſtrorum, quas Graci ad ſuas tenuerunt manus*. Deinde pecuniaria tributa numerantur, quæ ſolvebant *Pola*; *Ruvingium*, *Parentium*, *Tergeſtum*, *Albona*, *Pedena*, *Montonna*, *Pinguentum*, *Civitas nova*: eaque dicuntur, *tempore Gracorum in Palatium portata*. Hæc item legimus capite 2. inter acerbas exactiones: *Ab antiquo tempore* (ſcilicet ante annum DCCLXXXIX.) *dum fuimus ſub poteſtate Gracorum Imperii*. Et infra: *Gracorum tempore omnis Tribunus habebat ſcuſatos quinque*. Itemque: *Tempore Gracorum colligebamus ſemel in anno, ſi neceſſe erat, propter Miſſos Imperiales*. Denique, *Etiam Graci, ſub quorum antea fuimus poteſtate*. Hæc ſatis evincunt, a Græcis ad Francos tranſiiſſe Iſtrios, neque partem unquam fuiſſe Langobardorum regni.

Joanni Gradenſi reſponſa dedit Stefanus, quæ recitat Dandulus Lib. 7. cap. 12. Par. 9. Verba ejus ſunt: *Deo propitio, totis viribus inhianter ſatagimus*

de-

decertandum, ſicut Prædeceſſor noſter ſanctæ recordationis Stefanus Papa. Is eſt Stefanus ejus nominis II. quem alii III. vocant. Ait etiam: *Quoniam in noſtro pacto generali, quod inter Romanos, Francos, & Longobardos dignoſcitur proveniſſe, & ipſa veſtra Iſtriarum Provincia eſt confirmata, atque connexa ſimul cum Venetiarum Provincia.* Cave, intelligas Venetiam mediterraneam, aut Maritimæ partem quam Reſpublica Venetorum tenebat. Aliquæ parebant Inſulæ hoc tempore, inter quas Gradus, Græco Imperatori, quibus conſtabat quæ *Venetiarum Provincia* hoc loco appellatur. Pacti generalis, quod indicat Pontifex, meminit ſæpe Anaſtaſius in Vita Stefani III. nobis II. cum ait: *Fœdera facta inter Romanos, Francos, & Longobardos*; itemque, *Pacem inter Romanos, Francos, & Longobardos*: quæ refert Baronius ad Annum DCCLIV. Hinc ſane colligerem, jam tum Iſtriam ab Aiſtulfo Langobardorum Rege vexari cœptam, Ravenna quoque occupata, & Exarcho depulſo. Clariora videntur, quæ ſequuntur verba in epiſtola Stefani: *Confidat in Deo immutabili ſanctitas veſtra, quia ita fideles Beati Petri* (Pippinus cum Francis) *ſtuduerunt ad ſerviendum jurejurando Beato Petro Apoſtolorum Principi: & ejus omnibus Vicariis... in ſcriptis contulerunt promiſſionem, ut ſicut hanc noſtram Romanorum Provinciam, & Exarchatum Ravennatium; & ipſam quoque veſtram Provinciam pari modo ab inimicorum oppreſſionibus ſemper defendere procurent.* Iſtriam ergo occupaverat Aiſtulfus; eamque opprimere non intermiſit Deſiderius. Sed percuſſum fœdus erat, quo Reges Langobardi cedere tenebantur Pontifici Romano Exarchatum, ac Iſtriam Græco relinquere Impe-

ra-

ratori ; ac utramque Provinciam defendendi ab oppreſſionibus inimicorum ſponſionem fecerat Pippinus.

Ad Epiſcopos Iſtriæ quod attinet, eorumque temerarios auſus, hæc ſubjicit Pontifex : *Petiſti etiam, Sanctiſſime Frater, corripi Epiſcopos Iſtriæ, ut a tanta & iniqua reſipeſcant temeritate. Qui quidem tuis annuentes votis, noſtra Apoſtolica ſcripta eiſdem contumacibus Epiſcopis direximus.* Hæc eadem vulgata ſunt Apoſtolica Stefani ſcripta ad Iſtriæ Epiſcopos in Tabulis Gradenſibus apud Ughellium Ven. edit. ubi pro meritis eorum caſtigat protervìam, ac obedientiam Gradenſi Metropolitæ preſtandam interminatis anathematis imperat. Sed illi, *receptis Papalibus admonitionibus* (verba Danduli ſunt Par. 10.) *ſeculari contagione polluti, reſipiſcere noluerunt.*

Tulit opem, quam poterat, Gradenſi Præſuli Mauricius Dux Venetiarum, legatione directa ad eumdem Romanum Pontificem, ut narrat Dandulus Par. 13. his verbis: *His diebus Mauricius Dux Venetiarum.... compatiens Iſtrienſi populo, & dolens de minoratione Gradenſis Eccleſiæ propter intolerabilem Longobardorum ſævitiam, per ſuos Legatos Magnum Presbiterum Scriniarium, & Conſtantinum Tribunum, una cum Patriarcha, Stefano Papæ inſinuat.* Spem omnem recidit Pontificis obitus. *Sed Papa, ſuperveniente obitu, ut optabat, plene providere non potuit.* Unde Iſtriam Provinciam infeſtare non deſtitit ferociſſimus Deſiderius, donec in Franciam a Carolo Magno victus captivuſque abductus fuit. Obiit Stefanus III. anno DCCLXXII. ejuſque mors ſerius quam die 11. menſis Februarii contingere non potuit, ut docet Pagius. Hinc prædicta Mauricii legatio ad anni ſpectat præcedentis exitum DCCLXXI.

CA-

CAPUT XXI.

De eiſdem utriuſque Metropolitæ diſſidiis agitur. Aquilejenſium ſucceſſio ducitur uſque ad Maxentium, & emendatur.

POſt Sigualdum catalogi Aquilejenſes Paulinum recenſent. Non alius certe fuerit *dignus* ille ſucceſſor a Rege Carolo *ſubſtitutus*, ut ait laudatus Monachus S. Galli, niſi Paulinus, litteris & moribus ornatiſſimus, quem inter cælites colit Eccleſia. Regimen ergo ſuſcepit Paulinus Aquilejenſis Eccleſiæ anno DCCLXXVI. Obſtare videtur Caroli Magni diploma, quo ipſe Vir Sanctus, dum adhuc artem grammaticam exerceret, variis prædiis & poſſeſſionibus a beneficentiſſimo Principe donatus eſt. Datum legitur *XV. Kal. Julii anno VIII. Regni noſtri ex Lorea civitate.* Non alia videtur eſſe hæc Civitas, quam Loretum hodiernum ad Atheſim fluvium in Ducatu Veneto. Ante annum DCCLXXVI. ſcribi non potuit diploma; namque prædia & poſſeſſiones Paulino donantur, *quæ fuerunt Valdandi, filii quondam Mimoni de Labariano, quæ ad noſtrum* (ait Carolus) *devenerunt palatium; pro eo quod in campo cum Rotgaudo noſtro inimico a noſtris fidelibus fuerit interfectus:* quæ Rotgaudi, & Valdandi cædes contigit eodem anno DCCLXXVI. Unde falluntur Baronius, Bollandus, & alii, qui diploma idem anno conſignant DCCLXXIII.

Cum in Italia ſcriptum fuerit diploma, ac verſare-

retur Carolus, pronum eſt conjicere, annum octavum Regni Italici intelligendum eſſe. Hinc ea donatio anno DCCLXXXI. facta fuerit: adeoque non ante hunc annum ſedem Aquilejenſem obtinuerit Paulinus. Quindecim quoque ſedis anni ei tribuuntur in Catalogo Muratoriano, aliiſque vetuſtis Mſs. quibus retro numeratis ab anno Paulini emortuali DCCCII. aut inſequente, annus habetur DCCLXXXVII. quo regimen Eccleſiæ ab eo ſuſceptum, dici poteſt. At anni ſedis, qui numerantur in catalogis, pene omnes vitioſi ſunt, ut nemo prudens eorum calculo fidat. Adnotat etiam Mabillonius De re diplomat. Lib. 2. cap. 26. num. 11. ſæpe Regnum Francicum in Diplomatibus Caroli confundi cum Italico, cum iſtud in illo contineatur; ac ſæpe etiam ſub Imperii annis comprehendi annos utriuſque Regni, Francici & Italici; quod pluribus exemplis demonſtrat. Nihil igitur impedit, quominus octo illos regni annos ad epocham Regni Francici referamus. Anno DCCLXVIII. die IX. Octobris Rex Franciæ Carolus inunctus eſt: unde menſe Junio anni DCCLXXVI. annus ejus octavus labebatur, die eadem nona Octobris complendus. Ante paſcha ejuſdem anni DCCLXXVI. Rotgaudus occiſus fuit, ac inter ſeditioſos in campo detruncatus inventus eſt Valdandus. Ejus bona, aliorumque rebellium ærario publico addicta fuerunt. Tarviſii Carolus paſcha celebravit, quod incidit eo anno in diem XIV. Aprilis. Diſpoſuit demum, quæ ad regimen Forojulienſis Provinciæ pertinebant: ac diſceſſit, in Franciam reverſurus. In itinere, cum Loretum adveniſſet, diploma dedit prædictæ donationis.

Hinc epocha Epiſcopatus Paulini magis involuta vide-

de-

Digitized by Google

detur. Ait enim Monachus Sangallenſis : *Carolum in eadem regione* (Forojulienſi) *aliquantiſper demoratum eſſe, ... donec Epiſcopo* (Sigualdo) *decedente dignum ei ſucceſſorem ſubſtitueret*. Itaque ante paſcha Sigualdo ſucceſſor datus eſt. Aut ergo eidem non ſucceſſit Paulinus; aut alius diſtingui debet Paulinus, artis grammaticæ Magiſter, cui Valdandi prædia menſe Junio donata ſunt. Neutrum ſequitur. Res ita ſe habuit. Noluit Sigualdus, teſte Monacho S. Galli, *ſucceſſorem ex nomine deſignare* : idque prudenti Regis Caroli *diſpoſitioni* relictum eſt. Obiit ille : ſed neceſſe non eſt, ut ſine mora ſucceſſorem deſignaverit Carolus : neque tam ſevere ſcriptoris verba, compendio omnia colligentis abſque temporum nota, accipienda ſunt. Diſceſſit Rex ; Loreto tranſiens, Paulinum voluit privilegio exornare, quem Sigualdo ſucceſſorem dare animo conceperat ; ipſumque poſtea deſignavit redux in Franciam anno eodem cadente DCCLXXVI. Potuit etiam Carolus ante diſceſſum Paulinum deſignare Epiſcopum ; eidemque nondum ordinato poſſeſſiones, ac prædia Valdandi donare. Vero ſimillimæ ſunt conjecturæ ; at certum puto, eo anno obiiſſe Sigualdum; nec alium exhibent ſucceſſorem catalogi & ſcriptores Aquilejenſes, niſi Paulinum.

Vitam egiſſe ſanctiſſimum Aquilejæ Metropolitam anno DCCCII. eodemque Synodum ab ipſo Altini celebratam, colligi poſſe putant Baronius, Pagius, aliique ex ejus epiſtola, qua Synodi acta, quæ perierunt, ad Carolum Magnum tranſmittit, ubi hæc habentur : *De Sacerdotibus plagis impoſitis ſemivivis relictis, vel certe diabolico serveſcente furore per ejus ſatellites interemptis, non meum, ſed veſtra deſi-*

ni-

hibitionis erit judicium. Necem indicari, docet Baronius, aliique conſentiunt, a Duce Venetiarum Joanni Gradenſi Epiſcopo illatam, de qua plura ſcribunt Dandulus, rerumque Venetarum ſcriptores. Id vero contigit anno DCCCII. ut colligitur ex litteris Leonis III. ad Fortunatum, ſucceſſorem Joannis, quibus ad ipſum Pallium mittit, ſcriptis datiſque *XII. Kal. Aprilis, Indictione XI. Imperatoris Caroli anno III.* ideſt, anno Chriſti DCCCIII. Unde conficitur demum, Gradenſem Antiſtitem ex alta turri pręcipitem datum eſſe anno præcedente DCCCII. eodemque Synodum Altini a Paulino Aquilejenſi habitam.

Levem hanc eſſe Baronii aliorumque conjecturam, adnotat Baluzius Lib. 7. Miſcellan. ubi Paulini epiſtolam, quæ lacera legebatur in collectionibus Conciliorum, & Eccleſiæ Annalibus, integram exhibet: eamdemque pertinere cenſet ad Concilium Forojulienſe, quod habitum eſt aliquot ante annis, quam Carolus Magnus diceretur Imperator, anno ſcilicet DCCXCI. aut DCCXCVI. ut varie ſcriptores arbitrantur: monetque demum, idem Concilium licet Altini celebratum, recte vocari Forojulienſe, cum habitum fuerit in Diœceſi, ac Provincia Forojulienſi. At nullum occurrit prædictis annis immane facinus, quod in calce epiſtolæ memorat, exaggeratque Paulinus. Deinde *Forumjulium* Provinciam confundit ille cum *Forojulio* civitate, ubi Synodum, quæ dicitur Forojulienſis, a Paulino celebratam, hæc ejus verba evincunt: *Fraternum quorumdam Epiſcoporum contubernium* convenit *Forojulium, Municipium, Metropolim Aquilejenſem*. Civitas enim *Forumjulium* poſt Aquilejam dirutam dicebatur Metropolis Aquilejenſis; ubi poſt Cal-

li-

liſtum ſedem tenuere plerique Metropolitæ: ab eoque loco appellabantur *Epiſcopi* & *Patriarchæ Foro'ulienſes*.

Levi tamen conjectura Synodum Altinenſem anno DCCCII. adligari, cum eodem Balùzio ſuſtineo: eamdemque retrahendam puto ad annum, quo nondum Romæ Carolus Magnus Imperator acclamatus eſt, quod anno DCCC. factum fuit in Natali Domini. Paſſim enim Paulinus Carolum in epiſtola *Regem* appellat, nunquam Imperatorem. Inſcribitur ea *Catholico, ſemperque in Chriſto inclito triumphatori Domino Karolo, divina coronante clementia Regi*. Diſerte Paulinus ait: *Concilium habitum Altini fuiſſe, ſub nomine Regi.*, ad quem ejus acta tranſmittit. Ad ultionem quoque nefarii facinoris *regalem* ſuſcitat *animadverſionem*: ultricemque ſententiam expetit, quæ *per univerſam Regni* egrediatur *late diffuſam Monarchiam*.

Immane vero facinus, quod memorat Paulinus, ad Venetos pertinere, qui Gradenſi Antiſtiti vitam eripuerunt, ſine cauſa dicitur. Illud potius intelligi debet, quod Romæ in Sanctiſſimum Pontificem Leonem III. intentatum fuit. Ipſum narrat Anaſtaſius in ejus Vita, *plagis & fuſtibus* male habitum, *ſemique vivum* relictum: agit quoque Paulinus *de Sacerdotibus plagis impoſitis ſemivivis relictis*; vero enim ſimillimum eſt, non unum Pontificem, ſed alios quoque Sacerdotes, qui ſeſe nefariis hominibus oppoſuerant, fuſtibus percuſſos plagas excepiſſe, alioſque necatos eſſe. Facinoris auctores *Sathanicæ collectos*, ait Anaſtaſius: eiſdemque fere utitur verbis Paulinus, eos appellans *diabolico ferveſcente furore ſatellites*. Ad ultionem flagitio parem Carolum excitat Aquilejenſis Antiſtes; narratque Anaſtaſius, eos *in Franciam miſſos*, exilio

N pul-

pulſos eſſe. Facinus ipſum memorat Paulinus, neque Leone aliiſque Sacerdotibus, neque nefariis hominibus proprio nomine appellatis, neque loco ſceleris indicato; ſatis enim patebat flagitium, quod in urbe Roma adverſus Leonem Pontificem perpetratum fuerat.

Id anno contigit DCCXCIX. ut communi calculo docent Scriptores: unde eodem anno Synodum Altini habuiſſe Paulinum, colligitur. Diem deſignat Anaſtaſius, qua ingens commiſſum eſt Sacrilegium, *cum Leo more ſolito in lætaniis, quæ ab omnibus majores appellantur, procederet*; diem ſcilicet xxv. Aprilis. His diebus, paſchali tempore, ſuam pro more Synodum Altini celebravit Paulinus: vulgatumque ſceleratum facinus Carolo Regi denunciat ad ultionem.

Singularis Epocha, quæ in eadem occurrit Paulini epiſtola, exponenda eſt. Quinto quodam anno ſignificat ille, Altinenſe Concilium congregatum. Ejus verba ſunt: *Ecce enim .... tranſmiſſo jam jamque alveo, promiſſionis terram Jeſum Ducem ſequentes ingreſſi, fructifera confeſtim arbuſta legis ſtuduimus plantare, cogente præcepto, quod figurata legitur nihilominus promulgatione digeſtum. In primo itaque, ſecundo, & tertio anno primordia fructuum eorum prohibiti contrectare, guſtare renuimus... Nunc autem legaliter in hoc anno de fructibus edendi conceſſa licentia, Moſaico per omnia calamo cohibente*, (connivente, & aſſentiente, ut notat Cangius) *non abs re æſtimo ſi avidius veſci ex eis humili ſimplicique palato deſidero .... Sed hoc ipſum melius prorſus putavimus, hac omnia in uno coacervata faſce ſtyli noſtri ferculo ſerenis veſtris vultibus deferenda*. Ad Moſaicam legem animum intendebat Paulinus capite 19. Levitici a v. 23. latam his verbis:

Quan-

Quando ingreſſi fueritis terram, & plantaveritis in ea ligna pomifera, auferetis præputia eorum: poma, quæ germinant, immunda erunt vobis, nec edetis ex eis. Quarto autem anno omnis fructus eorum ſanctificabitur laudabilis Domino. Quinto autem anno comedetis fructus, congregantes poma quæ proferunt. Invicem ſi conferantur legis, & Paulini verba, ſatis aperte colligitur quinto alicujus epochæ anno Synodum habitam Altini a ſancto Antiſtite ejuſque acta ad Carolum miſſa. Celebratam diximus anno DCCXCIX. unde epochæ initium ſtatuendum eſt anno DCCXCIV.

Quid hoc anno acciderit, quod novę dederit epochæ occaſionem, difficile dictu. Synodus habita fuit Francofordienſis, in qua Paulinus cum Petro Mediolanenſi aliiſque Italiæ Epiſcopis ſacroſyllabum libellum edidit contra Felicem, & Elipandum, Jeſum Chriſtum errore inducto filium adoptivum appellantes. Ab hac Synodo redux Paulinus in propriam diœceſim, ac *Jeſum Ducem* depulſo errore *ſequens*, potuit voluitque epocham ducere, ejuſque quinto currente anno Synodum celebrare. Mihi rurſus conjicere poſſe videor, deſolatam civitatem Altinenſem, quam reliquerat, teſte Dandulo Lib. 6. cap. 7. Par. 11. ad Inſulam Torcellum ſecedens Paulus Epiſcopus, a Paulino fuiſſe prædicto anno DCCXCIV. refectam, ac ædificiis, & incolis auctam. Deſerto ſane in loco Synodum non tenuerit Sanctus Antiſtes. Oppidum ergo refecit ipſe: in eoque, anno poſt quinto Synodum celebravit.

Sanctiſſimi Viri mortem anno DCCCII. conſignant Annaliſtæ Fuldenſis, Hildesheimenſis, Cæſareus a Lambecio editus, & Hermannus Contractus. Con-

ret Eccleſiam, jamdudum poſt Emilianum interpontificio laborantem. Annuit Pontifex: eamdemque ſedem ad *Diœceſim prædicti Fortunati* pertinere, ait in epiſtola ad Carolum ſcripta apud Labbeum num. 11. Conditionem quoque adjecit Leo: *ita tamen*, inquiens, *ut ſi ipſi* (Fortunato) *ſua ſedes* (Gradenſis) *reſtituta fuerit, Polana Eccleſia... ſemper irrefragabililer cum ſuo Antiſtite ſalva exiſtere poſſit*. Rationem affert: *Reſervatur ſiquidem* (eadem Polana Eccleſia) *in ipſis veſtris Imperialibus apicibus* (*quomodo in Aquis Palatio nobiſcum providiſtis de Aquilejenſi Eccleſia*) *velut una*, *quæ ſuam ſedem haberet*. Ad Aquiſgrani Palatium Leo Pontifex convenit Carolum anno DCCCIV. eoque in congreſſu de ſervanda Polenſi Eccleſia actum eſt, deque *ipſa Aquilejenſi Eccleſia proviſum*. Fortunati ſcilicet dignitati, ac juri Metropolitico Pontifex conſuluerat, ne gradu ſuo, dum ei regenda exilii tempore ſuffraganea Polenſis Eccleſia concedebatur, dejectus videretur. Egit etiam apud Regem ac Imperatorem, ut Iſtriæ Epiſcopatus ad Gradenſem redirent Provinciam: unde Polanam eamdem Eccleſiam inter ſedes collocat *Diœceſis Fortunati*. Adeoque demum obtinuit à Carolo, ut iidem Epiſcopatus Iſtriæ a Provincia Aquilejenſi avellerentur, cui ſubjecti fuerant, Paulino Regi cariſſimo inter vivos agente.

Paulini ſucceſſores recenſentur in catalogis, Urſus, & Maxentius. Hunc anno DCCCXII. Aquilejenſi Eccleſiæ præfuiſſe, colligi poteſt ex ejus epiſtola eo circiter tempore ad Carolum Magnum data. Eo nempe anno ſcripſerat Princeps Chriſtianiſſimus, ut adnotant Pagius, & Bernardus Pezius Tomo 2. Anecdot.

Noviſſ. in Obſervationibus prævìis Par. 2. ad Regni & Imperii ſui Archiepiſcopos encyclicas litteras, ut quid ipſi de Baptiſmo ejuſque ritibus & ceremoniis ſentirent, eorum acceptis reſponſis certior fieret. Maxentii noſtri epiſtolam vulgavit laudatus Pezius *ex coævo, ut inquit, fere codice Sanct-Emmeramenſi*; quam proinde eodem circiter anno DCCCXII. datam, nullus eſt ambigendi locus.

Sed annum emortualem Urſi, ac Maxentii initia ſedis certius colligere licet ex diplomate quo litem dirimit Carolus Magnus circa Diœceſeon limites inter Aquilejenſes, & Juvavenſes aut Salisburgenſes Metropolitas. Illud primus edidit in *Rebus Carnio-lenſibus* Weichardus Valvaſorius: idemque inſeruit Venetæ Ughellii editioni Florianus Morocutus. *Datum eſt Aquiſgrani XVIII. Kal. Junii, Anno XI. Chriſto propitio Imperii noſtri, XLII. Regni noſtri in Francia, atque XXXVII. in Italia, Indictione IV:* quæ notæ chronicæ annum deſignant æræ vulgaris DCCCXI. Hæc inter alia leguntur. *Hac igitur definitione promulgata a nobis, præcipimus atque jubemus, ut.... inter Viros Venerabiles, Maxentium videlicet, qui in locum nuper Viri Venerabilis Urſi Patriarchæ ſubrogatus eſt; & Arnonem Virum venerabilem, Juvavenſis Eccleſiæ Archiepiſcopum... in futurum nulla controverſia, aut quæſtio moveatur.* Anno itaque DCCCXI. dicitur Urſus *nuper* vita functus, eique *nuper* Maxentius ſubrogatus. Id forte contigerit, aut initio ejuſdem anni, aut anno antecedente. Paulini ſucceſſorem vocant Urbanum plerique: Urſus in diplomate dicitur, & in catalogis MSS. In his, &

 apud

apud Ughellium quinque ſedis ejus numerantur anni, qui plures computandi ſunt, octo, vel novem.

Urgente Maxentio lis & quæſtio maxime efferbuit contra Gradenſes Metropolitas. Pontificum Romanorum, qui Gradenſibus favebant, ſolo judicio declinato, ad Synodum Mantuanam delata res eſt, ut ſanciverant Ludovicus, & Lotharius Imperatores. Coacta dicitur, *Anno Pontificatus ſanctiſſimi, & univerſalis Papæ Eugenii quarto, & Imperantibus piiſſimis & Dei cultoribus Ludovico & Lothario Imperatoribus anno ſeptimo & decimo, per Indictionem V. octavo idus Junii*. Indictio quinta, & quartus Eugenii Papæ II. annus, & dies octava ante idus Junii annum Chriſti definiunt DCCCXXVII. Hoc anno a die quinta ante Cal. Februarii annum Imperii quartumdecimum numerabat Ludovicus: unde librariorum oſcitantia error irrepſit in annum, qui conſignatus legitur, *ſeptimum & decimum*. Hanc epocham confirmat epiſtola Venerii, Metropolitæ Gradenſis, ad Gregorium IV. Obiit Eugenius II. menſe Auguſto anni ejuſdem DCCCXXVII. Contra Synodi Mantuanæ decretum Gregorii ſucceſſoris implorat auxilium Venerius, data ad ipſum epiſtola e codice Triviſaneo in Veneta editione Ughellii vulgata: quam non diu poſt Gregorii ordinationem ſcriptam fuiſſe, nemo negaverit, ut rei ipſius momentum expoſcebat.

Maxentii poſtulatum erat: *Ut ſua Provinciæ Eccleſias, quas barbarorum incurſus a ſua Matrice ſegregaverat, auctoritate canonum jam pacis tempore percipere mereretur ad propria*. Legati quoque *Iſtrienſis populi* aderant, *ſupplicantes ut eos a Grecorum nequiſ-*

quiſſimo vinculo liberatos, ad Aquilejam ſuam Metropolim, cui antiquitus ſubditi fuerant, redire concedas: quia electi, qui ordinandi ſunt, prius piiſſimis Imperatoribus noſtris, & poſtmodum ad partem Græcorum fidem per ſacramenta promittunt: & ideo in hoc facto gravari ſe aſſerunt, & ſervire duobus Dominis non poſſe conclamant. Græci intelliguntur Veneti. Sic Leo III. in epiſtola ad Carolum ſuperius citata ait: *A Gradenſi Inſula... Fortunatus.... propter perſecutionem Græcorum, ſeu Veneticorum exul eſſe dignoſcitur*. Sic Annaliſta Metenſis ad Annum DCCCIII. *Fortunatus*, inquit, *Patriarcha de Græcis* ad Carolum venit. Qui eligebantur in Iſtria Epiſcopi, obedientiam Francis Imperatoribus, quibus eorum ſubjecta erat Provincia, Sacramento ſpondebant. Ad Inſulam Gradum ordinandi accedentes, Sacramento ſimili ſe obſtringi, conqueruntur.

Synodi ſententia fuit: *Statuit igitur ſancta Synodus, ut Aquileja Metropolis, quæ contra Patrum ſtatuta diviſa in duos Metropolitanos fuerat, deinceps ſecundum quod & antiquitus erat, prima & Metropolis habeatur: & Maxentius S. Aquilejenſis Eccleſiæ Patriarcha, ejuſque ſucceſſores in ſingulis Hiſtriæ Eccleſiis electos a Clero, & Populo ordinare Epiſcopos licentiam, ſicut & in cæteris civitatibus ſuæ Metropoli ſubjectis, modo & futuris temporibus habeat.*

Dandulus Lib. 8. cap. 3. Par. 8. hæc habet *Maxentius Patriarcha Aquilegienſis, Lotharii Regis fultus favore, Gradenſem Eccleſiam in ſuffraganeis Hiſtriæ turbare nititur, nec a Gregorio Papa admonitus deſiſtere voluit. Imo repetito ſeculari ſubſidio antedictos E-*

pi-

piſcopos ad ſibi reverentiam, & ſubjectionem Metropolitano debitam, exhibendam in totum coegit. Mantuanæ Synodi judicium ſilet ſcriptor Sereniſſimus. Abnuentis Gregorii IV. monita refert: quem tamen Aquilejenſi Metropolitæ Iſtriam Provinciam adjudicaſſe, novimus ex Diplomate Ludovici II. quo jus idem Metropoliticum Theutimaro poſt Venantium, & Andream Maxentii ſucceſſori, confirmatur. Id enim *definitum* dicitur *temporibus Beatiſſimi Papæ Eugenii, qui ad ſuggeſtionem piæ recordationis Ludovici Avi noſtri, atque Domini, & Genitoris noſtri glorioſæ memoriæ Domini Lotharii præſtantiſſimi Auguſti petitione, Synodale Concilium Mantuæ congregari præcepit*. Hæc inſuper de Gregorio IV. efferuntur: *Deinceps quoque temporibus Beatiſſimi Papæ Gregorii interpellante iterum contra Gradenſem Epiſcopum ſupradicto Maxentio Forojulienſi Pontifice, eadem eſt quæſtio retractata, & ejus judicio ad finem perducta*. Vulgatum legitur Diploma in Editione Veneta Italiæ Sacræ ex codice Mſ. Cl. Viri Apoſtoli Zeni. Datum dicitur *in Civitate Papia, Calen. Novembris anno X. propitio Imperio D. Ludovici piiſſimi Auguſti quinta Indict.* Legendum, *Anno, Chriſto propitio, Imperii D. Ludovici piiſſimi Auguſti quinto, Indictione....* Annus quintus Ludovici incidit in annnm Chriſti DCCCLIX. Hujuſce demum Privilegii a Ludovico conceſſi mentio habetur in catalogo Aquilejenſi Muratoriano in Theutimaro, qui *Theotmanius* appellatur: *Supradicto Lothario, & Domino Ludovico ejus Filio regnantibus, Eccleſiam mirabiliter gubernavit: & pro Gradenſi plebe reclamavit, & a Ludovico obtinuit Papiam*. Lege, *in Papia*, ubi

ubi diploma ſcriptum eſt, ut habetur in ſimili vetuſto, quem habeo, catalogo Mſ. Patriarcharum Aquilejenſium.

Lis eadem ſequiore tempore intentata eſt. Sibi faventia uterque Metropolita obtinuit Reſcripta. Pactio demum inita Romæ, Apoſtolica auctoritate Alexandri III. firmata anno MCLXXX. qua Henricus Gradenſis Voldarico Aquilejenſi Metropoliticum cedit jus in omnes Eccleſias Iſtriæ Provinciæ, ſibi Patriarchatu, Inſula Gradenſi, ac tribus in æſtuariis ſuffraganeis Eccleſiis reſervatis. Monumenta extant apud Ughellium in Tabulis Patriarchatus Aquilejenſis, & Gradenſis.

CAPUT XXII.

De origine Patriarchatus Aquilejenſis.

Diſſidia diuturna perſtrinximus inter utrumque Metropolitam, quorum origo ſchiſma fuit: de meliori fœtu inde prognato poſtrema diſſertationis parte dicendum eſt. Titulum ſcilicet prærogativæ & honoris, quo utriuſque Eccleſiæ, Aquilejæ & Gradi, Metropolitanos Epiſcopos inſigniri contigit, ex eodem ſchiſmate ortum cum doctiſſimis Viris Baronio, Noriſio, aliiſque propugno.

Paulinum ſchiſmatis præcipuum incentorem, ejuſque Succeſſores omnes, quos in libris de Rebus Langobardorum Paulus Diaconus memorat, *Patriarchas* appellat: ac litteris etiam prodit, vita functo Severo,

cæ-

cæpiſſe duos eſſe Patriarchas, in Inſula Grado alterum, alterumque *in vetere Aquileja*. Paulini Deceſſorum nulla mentio apud eumdem ſcriptorem: unde anceps manet animus, an eos, ſi quos memorari oportuiſſet, aut jure aliquo, aut honoris ac adulationis cauſa Patriarchas appellaſſet; an appellationem tum primo exortam adhibuerit. Hinc ſplendidiſſimi tituli non adeo ſplendet origo, quin aliam aliamque aſſignent pro genio ingenioque Scriptores, aut primum locum Venetiæ attributum in Diœceſi Italiæ, aut Eccleſiaſticæ Provinciæ amplitudinem, aut uſum nominis a Gothis inductum, aut demum, ſi ſuperis placet, Eccleſiæ a Marco Evangeliſta inſtitutæ excellentiam.

A ſchiſmate non recedo, a quo tanquam vera origine duxerit natales & incrementa Patriarchatus Aquilejenſis. Tum Paulinus nullius obtenta facultate, ordinatus eſt Epiſcopus Aquilejenſis: idemque in Succeſſoribus, perdurante ſchiſmate, obſervatum; quo uno facto jura duo Patriarcharum uſurpata ſunt, ſine quorum beneplacito reliqui non ordinabantur Metropolitani, & qui nullius prævio indigebant aſſenſu in ſua ordinatione. Tum Metropolis Aquilejæ autocephaliam ſibi vendicare cœpit, nemini ſubjecta quinque Patriarcharum, quibus tanquam præcipuis capitibus regebatur Eccleſia Dei: unde ſchiſmatici in libello ad Mauricium iniqua jactantia teſtantur: Deceſſores ſuos, Paulinum, & Eliam, *a communione damnantium* tria capitula *abſtinuiſſe*; maximeque Romani Pontificis, Occidentis Patriarchæ, *communionem ab initio motionis cauſa evitaſſe*.

Rem

Rem pateſacit vel invitus Sereniſſimus Dandulus. Antiſtites aut Metropolitas Deceſſores Aquilejæ univerſos appellat *Epiſcopos* : jam ſchiſma furebat, cum novum *Patriarcham* recenſet Eliam: quam primo in Inſula Grado emerſiſſe nominis pompam, diſerte ſcribit. Verba ejus ſunt Lib. 6. cap. 1. Par. 14. *Helias itaque de Aquilegia Epiſcopo factus eſt nova Aquilegia Patriarcha*; & Par. 17 *igitur ex ſuperius recitatis patet, quod Patriarchalis dignitas prius in Eccleſia Gradenſi, quam Aquilejenſi fuerit inchoata*. Originem profert, quam inquirimus. Minus expendit fabellas Vir Summus, quæ in antiquioribus Gradenſium monumentis legebantur: eaſque adhibuit, ut originis vitium tegeret. Elias dicitur primus Patriarcha, non Paulinus: nec enim ſibi ſatis conſtabat mendacium, ſi Paulinus, quem vulgatæ Pontificiæ litteræ *Pſeudepiſcopum* traducebant, & *Aquilejenſis Eccleſiæ invaſorem*, eximio Patriarchæ titulo donaretur. Translatio ſedis diplomate Apoſtolico firmata fingitur; quæ nulla fuit, cum in Inſulam Gradum, Langobardorum furorem declinans, migraverit Paulinus; ibique, diruta ac incenſa Aquileja, moras traherent Elias & Severus, donec pace reddita, priſtinam ſedem recuperarent. Translata ſede, novo titulo decoratur Antiſtes. Erat ante *Aquileja Epiſcopus* : erumpit modo *nova Aquileja Patriarcha*. Commentum ſeipſo patet. Nec enim ſedium translationes novam honoris appellationem invehebant: nec Metropolitana ſedes Aquilejæ meliorem ſtatum obtinuerat: neque demum bene & optime, furente ſchiſmate, de Romana Eccleſia meriti fuerant Metropolitæ Aquilejenſes, ut honoris eximii titulum pro meritis compa-

ſentiunt Baronius, & Pagius. Diem ejus emortualem numerant Martyrologia, & alia Monumenta undecimum Januarii menſis. Incertum ſcribit Pagius; quod anno eodem poſt Januarium ſine dubio menſem Synodum Altini habitam, cum Baronio teneat: quo etiam occupatus præjudicio Bollandus, obitum ejus differt ad diem XI. Januarii anni inſequentis DCCCIII. Conjecturam adjicit, quod hujus anni Januarius juxta calculos Gallorum, qui annos a paſchate auſpicabantur, anno præcedenti DCCCII. accenſebatur: qua in re fallitur Vir doctus, qui mores confundit ſecundæ Regum Francorum ſtirpis cum tertiæ ætate; minuſque expendit, laudatos Annaliſtas, Fuldenſem, alioſque, ut Cangius aliique adnotarunt, non a paſchate annorum initium ducere, ſed a Nativitate Domini. Altinenſe demum Concilium anno DCCXCIX. habitum fuiſſe, docuimus: unde Paulini obitus conſignari poteſt tum anno DCCCII. ut Annaliſtæ ſcribunt, tum diei XI. Januarii, ut habent Martyrologia.

Jus in Iſtriam ſibi, dum viveret, ſanctiſſimum Virum tribuiſſe, facile crediderim. Inter acta Concilii Francofordienſis anno DCCXCIV. habiti libellus extat Epiſcoporum Italiæ contra Felicem, & Elipandum, ubi hæc leguntur. *Ego Paulinus Aquilegienſis ſedis Heſperiis oris accincta, cui Deo auctore deſervio, nomine, non merito Præſul, una cum Reverentiſs. & omni honore digno Petro Sedis Mediolanenſis Archiepiſcopo, cunctiſque collegis fratribus, & conſacerdotibus noſtris Liguriæ, Auſtriæ, Heſperiæ, Æmiliæ catholicarum Eccleſiarum venerandis Præſulibus*. Legendum monet Labbeus, non *Auſtriæ*, ſed *Hiſtriæ*, vel

Iſtria Heſperia abſque diſtinctione. Attamen *Auſtria* lectio retinenda eſt, cum notum compertumque ſit, eo nomine Forojulienſem Provinciam, & magnam partem Venetiæ appellatam a Langobardis, quod in parte Orientali Regni Langobardici ſita eſſet. Nomen *Heſperia* veteribus frequens eſt, quo Italiam deſignari ſciunt omnes. Quid fuerit vero *Heſperia* a Liguria, Auſtria, & Æmilia diſtincta? Forte legendum, *Hiſtria*. Hæc eadem Provincia *Heſperia* nomine intelligi commode poteſt. Dicitur enim ſinus Adriaticus ab Anonymo Ravennate, ſeu Guidone Presbytero Lib. 1. num. 17. & lib. 5. num. 24. de Geographia *Colſus Occidentalis*, & *Heſperius*: unde non aliam deſignavit ea voce Provinciam Paulinus, quam Iſtriam mari Heſperio adjacentem. Hanc ergo ſibi vindicabat ille, velut ſuæ diœceſeos partem.

Iſtriam, & Liburniam Græcis eripuit Pippinus anno circiter DCCLXXXIX. ut Pagius adnotat. Excipit Eginardus in Vita Caroli Magni, *maritimas civitates, quas ob amicitiam & junctum cum eo fœdus, Conſtantinopolitanum Imperatorem habere permiſit*. Sed etiam maritimam Gradi civitatem aut Inſulam Græcis eripuerant Veneti, ſuaque tenebant in poteſtate. Hinc veriſimile eſt, ſicut Iſtria a Græcis ad Francos tranſierat, ita Epiſcopos ejus Provinciæ a Gradenſi Metropolita, qui locum incolebat alieno Principi ſubjectum, ad Aquilejenſem rediiſſe.

Id tamen Romanis Pontificibus, qui Gradenſibus favebant, minime probabatur: eorumque diſſenſu ſuperior noſtra confirmari poteſt conjectura. Petierat a Leone III. Carolus, ut Fortunatus, quem Inſula Gradenſi Veneti expulerant, Polanam in Iſtria rege-

N 3 ret

ret Eccleſiam, jamdudum poſt Emilianum interpontificio laborantem. Annuit Pontifex: eamdemque ſedem ad *Diœceſim prædicti Fortunati* pertinere, ait in epiſtola ad Carolum ſcripta apud Labbeum num. 11. Conditionem quoque adjecit Leo: *ita tamen*, inquiens, *ut ſi ipſi* (Fortunato) *ſua ſedes* (Gradenſis) *reſtituta fuerit*, *Polana Eccleſia... ſemper irrefragabililer cum ſuo Antiſtite ſalva exiſtere poſſit*. Rationem affert: *Reſervatur ſiquidem* (eadem Polana Eccleſia) *in ipſis veſtris Imperialibus apicibus* (*quomodo in Aquis Palatio nobiſcum providiſtis de Aquilejenſi Eccleſia*) *velut una*, *quæ ſuam ſedem haberet*. Ad Aquiſgrani Palatium Leo Pontifex convenit Carolum anno DCCCIV. eoque in congreſſu de ſervanda Polenſi Eccleſia actum eſt, deque *ipſa Aquilejenſi Eccleſia proviſum*. Fortunati ſcilicet dignitati, ac juri Metropolitico Pontifex conſuluerat, ne gradu ſuo, dum ei regenda exilii tempore ſuffraganea Polenſis Eccleſia concedebatur, dejectus videretur. Egit etiam apud Regem ac Imperatorem, ut Iſtriæ Epiſcopatus ad Gradenſem redirent Provinciam: unde Polanam eamdem Eccleſiam inter ſedes collocat *Diœceſis Fortunati*. Adeoque demum obtinuit a Carolo, ut iidem Epiſcopatus Iſtriæ a Provincia Aquilejenſi avellerentur, cui ſubjecti fuerant, Paulino Regi cariſſimo inter vivos agente.

Paulini ſucceſſores recenſentur in catalogis, Urſus, & Maxentius. Hunc anno DCCCXII. Aquilejenſi Eccleſiæ præfuiſſe, colligi poteſt ex ejus epiſtola eo circiter tempore ad Carolum Magnum data. Eo nempe anno ſcripſerat Princeps Chriſtianiſſimus, ut adnotant Pagius, & Bernardus Pezius Tomo 2. Anecdot.

No:

Noviſſ. in Obſervationibus præviis Par. 2. ad Regni & Imperii ſui Archiepiſcopos encyclicas litteras, ut quid ipſi de Baptiſmo ejuſque ritibus & ceremoniis ſentirent, eorum acceptis reſponſis certior fieret. Maxentii noſtri epiſtolam vulgavit laudatus Pezius *ex coævo*, ut inquit, *fere codice Sanct-Emmeramenſi*; quam proinde eodem circiter anno DCCCXII. datam, nullus eſt ambigendi locus.

Sed annum emortualem Urſi, ac Maxentii initia ſedis certius colligere licet ex diplomate quo litem dirimit Carolus Magnus circa Diœceſeon limites inter Aquilejenſes, & Juvavenſes aut Salisburgenſes Metropolitas. Illud primus edidit in *Rebus Carniolenſibus* Weichardus Valvaſorius: idemque inſeruit Venetæ Ughellii editioni Florianus Morocutus. *Datum eſt Aquiſgrani XVIII. Kal. Junii, Anno XI. Chriſto propitio Imperii noſtri, XLII. Regni noſtri in Francia, atque XXXVII. in Italia, Indictione IV:* quæ notæ chronicæ annum deſignant æræ vulgaris DCCCXI. Hæc inter alia leguntur. *Hac igitur definitione promulgata a nobis, præcipimus atque jubemus, ut.... inter Viros Venerabiles, Maxentium videlicet, qui in locum nuper Viri Venerabilis Urſi Patriarchæ ſubrogatus eſt; & Arnonem Virum venerabilem, Juvavenſis Eccleſiæ Archiepiſcopum... in futurum nulla controverſia, aut quæſtio moveatur.* Anno itaque DCCCXI. dicitur Urſus *nuper* vita functus, eique *nuper* Maxentius ſubrogatus. Id forte contigerit, aut initio ejuſdem anni, aut anno antecedente. Paulini ſucceſſorem vocant Urbanum plerique: Urſus in diplomate dicitur, & in catalogis MSS. In his, &

apud Ughellium quinque ſedis ejus numerantur anni, qui plures computandi ſunt, octo, vel novem.

Urgente Maxentio lis & quæſtio maxime efferbuit contra Gradenſes Metropolitas. Pontificum Romanorum, qui Gradenſibus favebant, ſolo judicio declinato, ad Synodum Mantuanam delata res eſt, ut ſanciverant Ludovicus, & Lotharius Imperatores. Coacta dicitur, *Anno Pontificatus ſanctiſſimi, & univerſalis Papæ Eugenii quarto, & Imperantibus piiſſimis & Dei cultoribus Ludovico & Lothario Imperatoribus anno ſeptimo & decimo, per Indictionem V. octavo idus Junii*. Indictio quinta, & quartus Eugenii Papæ II. annus, & dies octava ante idus Junii annum Chriſti definiunt DCCCXXVII. Hoc anno a die quinta ante Cal. Februarii annum Imperii quartumdecimum numerabat Ludovicus: unde librariorum oſcitantia error irrepſit in annum, qui conſignatus legitur, *ſeptimum & decimum*. Hanc epocham confirmat epiſtola Venerii, Metropolitæ Gradenſis, ad Gregorium IV. Obiit Eugenius II. menſe Auguſto anni ejuſdem DCCCXXVII. Contra Synodi Mantuanæ decretum Gregorii ſucceſſoris implorat auxilium Venerius, data ad ipſum epiſtola e codice Triviſaneo in Veneta editione Ughellii vulgata: quam non diu poſt Gregorii ordinationem ſcriptam fuiſſe, nemo negaverit, ut rei ipſius momentum expoſcebat.

Maxentii poſtulatum erat: *Ut ſua Provincia Eccleſias, quas barbarorum incurſus a ſua Matrice ſegregaverat, auctoritate canonum jam pacis tempore percipere mereretur ad propria*. Legati quoque *Iſtrienſis populi* aderant, *ſupplicantes ut eos a Grecorum nequiſ-*

quiſſimo vinculo liberatos, ad Aquilejam ſuam Metropolim, cui antiquitus ſubaïti fuerant, redire concedas: quia electi, qui ordinandi ſunt, prius piiſſimis Imperatoribus noſtris, & poſtmodum ad partem Græcorum fidem per ſacramenta promittunt: & ideo in hoc facto gravari ſe aſſerunt, & ſervire duobus Dominis non poſſe conclamant. Græci intelliguntur Veneti. Sic Leo III. in epiſtola ad Carolum ſuperius citata ait: *A Gradenſi Inſula... Fortunatus.... propter perſecutionem Græcorum, ſeu Veneticorum exul eſſe dignoſcitur.* Sic Annaliſta Metenſis ad Annum DCCCIII. *Fortunatus*, inquit, *Patriarcha de Græcis* ad Carolum venit. Qui eligebantur in Iſtria Epiſcopi, obedientiam Francis Imperatoribus, quibus eorum ſubiecta erat Provincia, Sacramento ſpondebant. Ad Inſulam Gradum ordinandi accedentes, Sacramento ſimili ſe obſtringi, conqueruntur.

Synodi ſententia fuit: *Statuit igitur ſancta Synodus, ut Aquileja Metropolis, quæ contra Patrum ſtatuta diviſa in duos Metropolitanos fuerat, deinceps ſecundum quod & antiquitus erat, prima & Metropolis habeatur: & Maxentius S. Aquilejenſis Eccleſiæ Patriarcha, ejuſque ſucceſſores in ſingulis Hiſtriæ Eccleſiis electos a Clero, & Populo ordinare Epiſcopos licentiam, ſicut & in cæteris civitatibus ſuæ Metropoli ſubjectis, modo & futuris temporibus habeat.*

Dandulus Lib. 8. cap. 3. Par. 8. hæc habet *Maxentius Patriarcha Aquilegienſis, Lotharii Regis fultus favore, Gradenſem Eccleſiam in ſuffraganeis Hiſtriæ turbare nititur, nec a Gregorio Papa admonitus deſiſtere voluit. Imo repetito ſeculari ſubſidio antedictos Epi-*

piſcopos ad ſibi reverentiam, & ſubjectionem Metropolitano debitam, exhibendam in totum coegit. Mantuanæ Synodi judicium ſilet ſcriptor Sereniſſimus. Abnuentis Gregorii IV. monita refert: quem tamen Aquilejenſi Metropolitæ Iſtriam Provinciam adjudicaſſe, novimus ex Diplomate Ludovici II. quo jus idem Metropoliticum Theutimaro poſt Venantium, & Andream Maxentii ſucceſſori, confirmatur. Id enim *definitum* dicitur *temporibus Beatiſſimi Papæ Eugenii, qui ad ſuggeſtionem piæ recordationis Ludovici Avi noſtri, atque Domini, & Genitoris noſtri glorioſæ memoriæ Domini Lotharii præſtantiſſimi Auguſti petitione, Synodale Concilium Mantuæ congregari præcepit*. Hæc inſuper de Gregorio IV. efferuntur: *Deinceps quoque temporibus Beatiſſimi Papæ Gregorii interpellante iterum contra Gradenſem Epiſcopum ſupradicto Maxentio Forojulienſi Pontifice, eadem eſt quæſtio retractata, & ejus judicio ad finem perducta*. Vulgatum legitur Diploma in Editione Veneta Italiæ Sacræ ex codice Mſ. Cl. Viri Apoſtoli Zeni. Datum dicitur *in Civitate Papia, Calen. Novembris anno X. propitio Imperio D. Ludovici piiſſimi Auguſti quinta Indict.* Legendum, *Anno, Chriſto propitio, Imperii D. Ludovici piiſſimi Auguſti quinto, Indictione....* Annus quintus Ludovici incidit in annnm Chriſti DCCCLIX. Hujuſce demum Privilegii a Ludovico conceſſi mentio habetur in catalogo Aquilejenſi Muratoriano in Theutimaro, qui *Theotmanius* appellatur: *Supradicto Lothario, & Domino Ludovico ejus Filio regnantibus, Eccleſiam mirabiliter gubernavit: & pro Gradenſi plebe reclamavit, & a Ludovico obtinuit Papiam*. Lege, *in Papia*, ubi

ubi diploma ſcriptum eſt, ut habetur in ſimili vetuſto, quem habeo, catalogo Mſ. Patriarcharum Aquilejenſium.

Lis eadem ſequiore tempore intentata eſt. Sibi faventia uterque Metropolita obtinuit Reſcripta. Pactio demum inita Romæ, Apoſtolica auctoritate Alexandri III. firmata anno MCLXXX. qua Henricus Gradenſis Voldarico Aquilejenſi Metropoliticum cedit jus in omnes Eccleſias Iſtriæ Provinciæ, ſibi Patriarchatu, Inſula Gradenſi, ac tribus in æſtuariis ſuffraganeis Eccleſiis reſervatis. Monumenta extant apud Ughellium in Tabulis Patriarchatus Aquilejenſis, & Gradenſis.

CAPUT XXII.

De origine Patriarchatus Aquilejenſis.

DIſſidia diuturna perſtrinximus inter utrumque Metropolitam, quorum origo ſchiſma fuit: de meliori fœtu inde prognato poſtrema diſſertationis parte dicendum eſt. Titulum ſcilicet prærogativæ & honoris, quo utriuſque Eccleſiæ, Aquilejæ & Gradi, Metropolitanos Epiſcopos inſigniri contigit, ex eodem ſchiſmate ortum cum doctiſſimis Viris Baronio, Noriſio, aliiſque propugno.

Paulinum ſchiſmatis præcipuum incentorem, ejuſque Succeſſores omnes, quos in libris de Rebus Langobardorum Paulus Diaconus memorat, *Patriarchas* appellat: ac litteris etiam prodit, vita functo Severo,

cæ-

cœpiſſe duos eſſe Patriarchas, in Inſula Grado alterum, alterumque *in vetere Aquileja*. Paulini Deceſſorum nulla mentio apud eumdem ſcriptorem: unde anceps manet animus, an eos, ſi quos memorari oportuiſſet, aut jure aliquo, aut honoris ac adulationis cauſa Patriarchas appellaſſet; an appellationem tum primo exortam adhibuerit. Hinc ſplendidiſſimi tituli non adeo ſplendet origo, quin aliam aliamque aſſignent pro genio ingenioque Scriptores, aut primum locum Venetiæ attributum in Diœceſi Italiæ, aut Eccleſiaſticæ Provinciæ amplitudinem, aut uſum nominis a Gothis inductum, aut demum, ſi ſuperis placet, Eccleſiæ a Marco Evangeliſta inſtitutæ excellentiam.

A ſchiſmate non recedo, a quo, tanquam vera origine duxerit natales & incrementa Patriarchatus Aquilejenſis. Tum Paulinus nullius obtenta facultate, ordinatus eſt Epiſcopus Aquilejenſis: idemque in Succeſſoribus, perdurante ſchiſmate, obſervatum; quo uno facto jura duo Patriarcharum uſurpata ſunt, ſine quorum beneplacito reliqui non ordinabantur Metropolitani, & qui nullius prævio indigebant aſſenſu in ſua ordinatione. Tum Metropolis Aquilejæ autocephaliam ſibi vendicare cœpit, nemini ſubjecta quinque Patriarcharum, quibus tanquam præcipuis capitibus regebatur Eccleſia Dei: unde ſchiſmatici in libello ad Mauricium iniqua jactantia teſtantur: Deceſſores ſuos, Paulinum, & Eliam, *a communione damnantium* tria capitula *abſtinuiſſe*; maximeque Romani Pontificis, Occidentis Patriarchæ, *communionem ab initio motionis cauſa evitaſſe*.

Rem

Rem patefacit vel invitus Sereniſſimus Dandulus. Antiſtites aut Metropolitas Deceſſores Aquilejæ univerſos appellat *Epiſcopos*: jam ſchiſma furebat, cum novum *Patriarcham* recenſet Eliam: quam primo in Inſula Grado emerſiſſe nominis pompam, diſerte ſcribit. Verba ejus ſunt Lib. 6. cap. 1. Par. 14. *Helias itaque de Aquilegia Epiſcopo factus eſt nova Aquilegia Patriarcha*; & Par. 17 *igitur ex ſuperius recitatis patet, quod Patriarchalis dignitas prius in Eccleſia Gradenſi, quam Aquilejenſi fuerit inchoata*. Originem profert, quam inquirimus. Minus expendit fabellas Vir Summus, quæ in antiquioribus Gradenſium monumentis legebantur: eaſque adhibuit, ut originis vitium tegeret. Elias dicitur primus Patriarcha, non Paulinus: nec enim ſibi ſatis conſtabat mendacium, ſi Paulinus, quem vulgatæ Pontificiæ litteræ *Pſeudepiſcopum* traducebant, & *Aquilejenſis Eccleſia invaſorem*, eximio Patriarchæ titulo donaretur. Translatio ſedis diplomate Apoſtolico firmata fingitur; quæ nulla fuit, cum in Inſulam Gradum, Langobardorum furorem declinans, migraverit Paulinus; ibique, diruta ac incenſa Aquileja, moras traherent Elias & Severus, donec pace reddita, priſtinam ſedem recuperarent. Translata ſede, novo titulo decoratur Antiſtes. Erat ante *Aquileja Epiſcopus*: erumpit modo *nova Aquileja Patriarcha*. Commentum ſeipſo patet. Nec enim ſedium translationes novam honoris appellationem invehebant: nec Metropolitana ſedes Aquilejæ meliorem ſtatum obtinuerat: neque demum bene & optime, furente ſchiſmate, de Romana Eccleſia meriti fuerant Metropolitæ Aquilejenſes, ut honoris eximii titulum pro meritis compa-

pararent. Tolle fabellas: quæ manet, hiſtoria prodit, tempore ſchiſmatis novum *Patriarchæ* titulum erupiſſe.

Ævo illo quatuor numerat, ac etiam quinque præcipuos Patriarchas Magnus Gregorius, Romanum, Conſtantinopolitanum, Alexandrinum, Antiochenum, Hieroſolymitanum. Leonem I. ante vocaverat *Patriarcham* Synodus Calchedonenſis: eodemque nomine inſigniti leguntur Actione 2. Primates aut Exarchi diœceſeon, quæ pluribus conſtabant Provinciis, ac Metropolitanis: dicuntur enim πατριάρχαι Διοικήσεως, *cujuſque Diœceſeos Patriarchæ*. Cur hoc tributum fuerit Aquilejenſibus nomen, quo reliqui omnes dignitate pares, ac plerique Provinciæ amplitudine ſuperiores, abſtinebant in Occidente Metropolitæ? Viſum nempe illud eſt, & rebellioni fovendæ accommodum, & ei poteſtati confirmandę aptiſſimum, quam ab aliis liberam, nec obnoxiam cuique jactabant. Illos ait Gregorius Lib. 9. Epiſt. 11. ad Brunichildem Reginam, *omnes quatuor Patriarchas malitioſa mente refugere*: adeoque reliquos cum fugerent Patriarchas, novum ſibi nulli obnoxium fecere Patriarchatum.

Hanc ſatis indicant originem ſchiſmatici, qui Antiſtitem ſuum in libello ad Mauricium, ſemel appellant *Metropolitam*, pluries *Archiepiſcopum*. Hocce titulo Patriarchas illo ævo non raro appellatos, vetera monumenta teſtantur: ſed eo frequentius exornatos legimus in Oriente Exarchos, & in Occidente Primates, ac Legatos ſeu Vicarios Apoſtolicos, qui Metropolitanis pluribuſque Provinciis jus dicebant. Legimus in Canone Calchedonenſi duodecimo, quem exhi-

exhibet Eccleſiæ Romanæ codex a Queſnellio editus; *eum qui Eccleſiæ* (Metropolitanæ) *præeſt Epiſcopus, vocari Archiepiſcopum*: quæ poſtremæ tamen duæ voces deſiderantur in textu græco, ac duplici latina verſione Exigui, & Mercatoris; recentiorique interpolatrice manu, cum deſint in codice Oxonienſi, adjunctæ videntur. Prima vice *Archiepiſcopi* nomine Galliarum Metropolitas donatos, Thomaſinus cenſet, in Synodo Sueſſionenſi anno DCCXLIV. celebrata. Hinc Iſidorus Hiſpalenſis, qui Seculo VI. cadente, & VII. floruit, ſcribit Lib. 7. Origin. cap. 12. Archiepiſcopum eſſe, *qui tenet vicem Apoſtolicam, & præſidet tam Metropolitanis, quam Epiſcopis cæteris*. Neque Diœceſeos, aut plurium provinciarum Primas erat Aquilejenſis Epiſcopus, nec vicem Apoſtolicam gerebat, nec Provinciis & Metropolitanis juri dicundo præfectus erat. Purus putus Metropolita unam regebat Eccleſiaſticam Provinciam. Cur ergo eo titulo Metropolitam ſuum ſchiſmatici appellant? Autocephaliam, quam Aquilejæ Metropolitæ uſurpaverant, eo nomine ſignificabant. Titulum *Patriarchæ*, Græco Imperatori ſcribentes, prætermittunt, quem in Oriente vulgo tributum ſciebant quatuor principalium Conſtantinopoleos, Alexandriæ, Antiochiæ, & Hieroſolymæ ſedium Epiſcopis. Minus elatum *Archiepiſcopi* nomen adhibent, independentię ſignificandę ſatis aptum, ne Græcum Auguſtum nimia tituli pompa offenderent.

Neminem latet, Athalaricum Regem Gothorum in Epiſtola ad Joannem Papam apud Caſſiodorum Lib. 9. num. 15. Epiſcopos Italiæ honoris cauſa dicere *Patriarchas*, Romanumque Pontificem *Patriarcharum Epiſcopum*.

copum. Priſcum Lugdunenſem appellat *Patriarcham* Synodus Matiſconenſis anno DLXXXV. & Nicetium Priſci deceſſorem Gregorius Turonenſis Lib. 5. Hiſtor. Francor. num. 21. Datur idem honoris titulus Laurentio Mediolanenſi in Epiſtola Childeberti II. Francorum Regis apud Ruinartium in Appendice Operum laudati Gregorii: Sulpicio Bituricenſi in Epiſtola Deſiderii Cadurcorum Epiſcopi: Chelidonio Veſontienſi in Vita S. Romani Abbatis Jurenſis: nec deſunt ſequiorum temporum exempla. Id obſervatione digniſſimum eſt, non manaſſe in ſucceſſores extraordinariam hanc appellationem, licet eorum pleriſque ob eam, qua potiebantur, prærogativam primatus, apte conveniret; ac ſingularia eſſe, quæ attulimus exempla. Quænam cauſa fuerit, quod eadem perennaverit appellatio in Metropolitis Aquilejenſibus, qui ſolo Metropolitico jure fruebantur, neque ſoli ampliſſimæ Provinciæ jus dicebant? Quære, ſi placet. Non aliam, niſi ſchiſma invenies, quo a Romano Pontifice, a cæteris Patriarchis præciſi, nomen accepere accommodum rebellioni; idemque ſemel ſumptum integro ſeculo ac dimidio cum rebellione retinuerunt.

Mirum eſt, legitima nulla ac ſincera proferri Romanorum Pontificum, aliorumque Scriptorum monumenta, in quibus Gradenſis, & Aquilejenſis, Metropolitæ ante ſchiſma, ipſius ſchiſmatis tempore, ac diu poſt, *Patriarchæ* titulo donentur! Quo altius ſilentium eſt, eo facundius originem vocis ejus a ſchiſmate repetendam clamat, & confirmat. Spuriæ ſunt atque confictæ Pelagii Epiſtolæ, *Paulo Aquilejenſi Patriarchæ* prima, altera *Eliæ Aquilejenſi Patriarchæ*, inſcriptæ, quæ extant in Tabulis Veronenſibus in

So-

Solacio, & in Synodo Gradenſi dicta in Tabulis Aquilejenſibus. Paulinum, veluti *Pſeudepiſcopum*, inſequitur Pelagius I. Litteras Eliæ datas Pelagius II. inſcribit, *Dilectiſſimis Fratribus Elia*, *aliiſque Epiſcopis*. Severum appellat *Epiſcopum Aquilejenſem* Gregorius, & alibi *Gradenſem Epiſcopum*: eumdemque *Aquilejenſem Epiſcopum* vocat Mauricius Imperator in Reſcripto ad Gregorium. Extant Honorii I. epiſtolę *ad univerſos Epiſcopos per Iſtriam*, *& Venetiam conſtitutos*, quibus *Gradenſi Eccleſia Epiſcopali ordine* conſecrandum *cum Pallii benedictione* Primogenium dirigit. Epiſtola Gregorii II. *Dilecto Fratri Sereno* inſcribitur. Alia data dicitur *Dilectis Filiis Donato* (Gradenſi) *Patriarcha*, *Epiſcopis &c.* in eaque Donatus ipſe *Gradenſis Patriarcha* appellatur. Interpolatrice manu hunc titulum adjectum puto: nam aliæ pręſto ſunt ejuſdem Gregorii litteræ *ad Epiſcopos Venetia ſeu Iſtria*, ex codice Triviſaneo in Tabulis Gradenſibus editæ, in quibus Donatus *Gradenſis Præſul* vocatur, novique *in Eccleſia Gradenſi Præſulis* electio indicitur. Scribit Gregorius III. *Calliſto*. Scribit etiam *Antonino Gradenſi Archiepiſcopo*: qua voce eo tempore paſſim appellabantur Metropolitæ; eumdemque *Antoninum Gradenſem Epiſcopum* Synodo Romanæ a Gregorio celebratæ interfuiſſe, narrat auctor ejus vitæ apud Anaſtaſium. Stefanus denique III. *Joanni* (Gradenſi) *Coepiſcopo* litteras inſcribit: in eiſque *Gradenſis Eccleſia Archiepiſcopatus* legitur. Nuſpiam comparet *Patriarcha* titulus: neque tamen Venetia a primo Diœceſeos loco deturbata fuerat: neque Provinciæ amplitudine multati erant Metropolitæ Gradenſis, & Aquilejenſis. Neque ſolum eo prærogativę, & hono-

ris nomine ſchiſmatici Aquilejenſes non inſigniuntur: ſed neque catholici Gradenſes, neque demum Aquilejenſes ad unitatem Eccleſiæ revocati. Silentii cauſam paucis habeto. Schiſmaticis Aquilejenſibus titulum negabant Pontifices, quo eorum rebellio ſignificabatur: eiſdemque ad unitatem converſis, ac ipſis quoque catholicis Gradenſibus titulus idem negabatur, ne inſolenti vocabulo vitium originis panderetur.

At ea invaluit tandem appellatio: quæve intra Provinciæ fines hactenus obtinuerat, foris etiam ſonare cœpit, cadente Seculo VIII. Paſſim uterque Metropolita dicitur Patriarcha in Diplomatibus Caroli Magni, & Succeſſorum, in Epiſtolis Romanorum Pontificum aliiſque monumentis. Carolus Magnus e Concilio Francofordienſi anno DCCXCIV. libellum mittit ad Elipandum, & cæteros Epiſcopos Hiſpaniæ, *Petri Mediolanenſis Archiepiſcopi, & Paulini Forojulianenſis aut Aquilejanenſis Patriarchæ*. Recenſet Baronius ad Annum DCCXCV. epiſtolarum Hadriani I. argumenta ex codice Vaticano, legimuſque num. 29. indicatam *Gradenſis Patriarchæ* epiſtolam. Eodem titulo S. Paulinum Aquilejenſem exornat Alcuinus in epiſtolis ad eundem ſcriptis. Cætera proſtant Monumenta plura in Tabulis Aquilejenſibus, & Gradenſibus apud Ughellium. Nihilominus Monachus S. Galli Lib. 2. de Geſtis Caroli Magni num. 27. apud Caniſium ait: *Venit Religioſiſſimus Carolus ad Urbem Furiolanam*, (ubi Aquilejenſes Metropolitæ ſedebant.) *Contigit autem, ut eodem tempore Epiſcopus Civitatis illius, aut ut modernorum loquar conſuetudine, Patriarcha, occaſui vitæ appropinquaret*. Quomodo recens ea dicitur appellatio, quam Paulino Aquilejenſi Seculo

Ec-

Eccleſiæ ſexto tributam ſcimus? Nempe ſchiſmatica in origine appellatio intra domeſticos lares continebatur, Langobardorum Regno extincto, Seculo octavo cadente, foris innotuit: adeoque ab exteris hominibus, ſcriptoribuſque pro recenti habebatur.

Hinc demum obſcura cum eſſet Aquilejenſis Patriarchatus origo, mirum non eſt, commenta plura ſequioris ævi ſcriptores excogitaſſe, ut honoris ac prærogativæ cauſam, aut latentem quoquo modo proferrent, aut infamem pro genio exornarent. Fabellam præ cæteris narro, quam habet Honorius Auguſtodunenſis, duodecimi Seculi ſcriptor Lib. 1. de Antiquo ritu Miſſarum cap. 187. Tribus enumeratis præcipuis Patriarcharum ſedibus, Romana, Alexandrina, Antiochena, ſic ait: *Poſtquam Nicana Synodus Romano Pontifici hoc contulit privilegium, ut ſicut Auguſtus pra Regibus, ita ipſe pra omnibus Epiſcopis haberetur, & Papa vocaretur; jus Patriarchatus ad Conſtantinopolitanam urbem, ſcilicet ſecundam Romam, eſt tranſlatum. Quod autem alia ſedes ſunt mutata, hac cauſa videtur eſſe. Cum Chriſtiani, relicta lege Dei, Paganos ſpurcis operibus imitarentur, judicio Dei traditi ſunt in manibus eorum, qui deletis Chriſtianis poſſederunt loca eorum. Unde Antiochenus Patriarchatus eſt ad Hieroſolymam tranſlatus. Porro Alexandrinus ad Aquilejam eſt poſitus, quia huic Civitati primum Marcus Evangeliſta praſedit, qui poſtea Alexandria prafuit.* Eadem ſcribit Hugo Victorinus, quem Dandulus citat, ut Patriarchatus Gradenſis natales confirmet. Scatent omnia putidiſſimis commentis. Unum animadverte fictæ tranſlationis tempus: cum Saraceni, ſpurciſſima proles Mahometis, *deletis Chriſtianis;*

poſſederunt loca eorum. Seculo ſeptimo hæc facta ſunt: ab eiſque capta Alexandria anno DCXL. nondum a ſchiſmate Aquilejenſi Eccleſia revocata. Hanc ſcilicet ſchiſmaticam, non aliam produnt Aquilejenſis Patriarchatus originem etiam fabellæ.

Verum denique enimvero *Patriarchatus* nomen, quod a Seculis intra Provinciæ fines popularium ora efferebant; quod foris etiam late uſurpari cœptum eſt, ac invaleſcente conſuetudine ornatiſſimis utriuſque Eccleſiæ, Gradi, & Aquilejæ, Metropolitis Reges, Imperatores, Viri graviſſimi tribuebant, *retineri bono pacis permiſſu ſedis Apoſtolicæ indulgentia*, ut veriſſime notat Baronius ad Annum DLXX. num. 12. atque cuique ex iis, quæ hactenus dicta ſunt, colligere pronum eſt. Præ Gradenſibus interim cumulati fuerunt amplioribus beneficiis Antiſtites Aquilejenſes; ut qui ſolo primum nomine a cæteris Italiæ Metropolitis differebant, primatu quoque honoris poſt Romanum Pontificem fruerentur.

CAPUT XXIII.

De amplitudine Aquilejenſis Provinciæ ſchiſmatis tempore, & ante ipſum.

JUs dicebat ſchiſmatis tempore Aquilejenſis Metropolita Iſtriæ, Forojulio, Venetiæ; ejuſque protendebatur ſollicitudo paſtoralis ad Rhætiam ſecundam, Noricum Mediterraneum, ac etiam fortaſſe Pannoniam ſuperiorem, ſeu primam. Hujuſce ampli-

plitudinis certiſſima monumenta ſunt Concilia duo, Gradenſe, ac Marianum, ſchiſmaticorumque ſupplex libellus ad Mauricium Imperatorem miſſus. Marianæ ſubſcribunt Synodo *Venetiæ*, ac *Rhætiæ ſecundæ* Epiſcopi: iidemque adverſus Magnum Gregorium Eccleſiæ Pontificem prædictum ad Imperatorem Conſtantinopolim tranſmittunt libellum. Subſcriptos præterea legimus in Synodo Gradenſi plures *Iſtriæ* Antiſtites; itemque Leonianum *Tiburnienſem*, & Joannem *Celejanum*, qui ſedem in *Norico Mediterraneo* tenebant; atque demum Vigilium *Scaravaſienſem*, qui Scarabantiæ Epiſcopus creditur, in *Pannonia ſuperiore* Norico finitima. Neque minus aptum quiſpiam arbitretur deſumptum ex Synodo Gradenſi teſtimonium, quod eam rejici veluti confictam debere, pluribus ſuſpicionis argumentis oſtenſum eſt capite 10. tum quia Synodi actorum concinnator non alios appoſuerit ſubſcribentes Epiſcopos, niſi qui certiſſime ſuffraganei Aquilejenſes fuiſſent: tum quod ſubſcriptiones eaſdem in ſchiſmatica Paulini Synodo adinventas ad Gradenſe Concilium, quod fingebat, tranſtulerit fabulator, ut loco citato conjecimus. Verum denique litem dirimit omnem libellus ſchiſmaticorum, ubi inter Eccleſias Aquilejæ ſubjectas legimus *Beconenſem*, *Tiburnienſem*, & *Auguſtanam*, in Norico, & Rhætia.

Non ſolum nominis dignitatem, quæ Metropolitis Aquilejenſibus acceſſit, ſed etiam Diœceſeos amplitudinem ad ipſius tempora ſchiſmatis revocandam eſſe, videtur ſentire Baronius ad Annum DLXX. num. 11. ubi novi *Patriarchæ* tituli eam cauſam, & originem affert; *quia non antea, ſed tunc aucta ſit*

 ma-

majoris dignitatis amplitudine Eccleſia illa, dum eſſet in ſchiſmate. Ita ſane Parentis annalium verba intelligere nonnullis placet, ut ſcilicet, qui ſchiſmatici Epiſcopi tunc ab Eccleſiæ Romanæ communione deſciverant, ſibi ſchiſmaticum Aquilejenſem elegerint Patriarcham; ejuſque Metropoliticæ ſe ſuaſque ſubjecerint poteſtati Eccleſias.

Patriarchatus appellationem abs ſchiſmate ortam lubens fateor ego, minime Provinciæ amplitudinem. Paucis agendum de hoc argumento mihi eſt. Ac primum cogitaverit certe nemo, ſchiſmatis occaſione Epiſcopos Iſtriæ ad Aquilejenſem Metropolitam acceſſiſſe: quin ab ipſius Aquilejenſis Metropoleos inſtitutione in ſortem ejus. veniſſe Iſtriam, facile crediderim. Animadverſione dignum eſt, quod etiam Operum S. Leonis editor adnotavit in notis ad Epiſtolam 7. Septimio Altinenſi inſcriptam: Aquilejenſem Eccleſiaſticam Provinciam ante Metropoleos diviſionem dici nunquam ſolitarie Venetiam, aliquando Iſtriam ſimul ac Venetiam, ſæpe demum Iſtriam duntaxat. Tres epiſtolas Pelagii II. inſcriptas legimus *Eliæ aliiſque Epiſcopis in Eccleſia Iſtriæ partibus conſtitutis*, itemque *Eliæ vel aliis Epiſcopis Iſtriæ*: quo tamen nomine tum Iſtriæ proprie dictæ, tum Venetiæ aliorumque locorum Eccleſiæ, quæ cum Metropolita Aquilejenſi ſchiſma fovebant, ſine dubio intelliguntur. Reſcriptum quoque refero Mauricii ad Gregorium Magnum, in quo *Iſtrienſium Provinciarum* dicuntur *Epiſcopi*, non ſolum qui Iſtriam incolebant, ſed etiam qui in *Civitatibus & Caſtris, quæ Longobardi tenere dignoſcuntur*, ſedem habebant: quos denique omnes iterum vocat Imperator *Epiſcopos Iſtriæ*,

ſeu

ſeu Venetiarum. Quid ita, quæſo? Veriſimillimum putaverim, Aquilejenſem Provinciam ab inſtitutionis primordio Iſtriæ Eccleſiis conſtitutam fuiſſe: Iſtriamque Venetiæ aliiſque locis, quæ Metropoli Aquilejæ acceſſerunt, nomen dediſſe. Quidni hocce ſenſu ſubſcriptio Theodori Epiſcopi, & Agathonis Diaconi, quæ legitur in Concilio Arelatenſi anno CCCXIV. intelligenda fuerit, dum ſe appellant ipſi *de Civitate Aquilejenſi, Provincia Dalmatia*: ut eo ſcilicet nomine Iſtria ſignificetur propriæ Dalmatiæ contermina; Provinciæque Dalmatiæ civitas dicatur Aquileja in Iſtriæ confinio poſita? Definire hoc loco nolim, jam tum Aquilejæ, velut Eccleſiaſticę Metropoli, Iſtriam paruiſſe: qua de re inter doctiſſimos Viros diſſidium fervet. Satis eſt, civilem intelligere Provinciarum diſpoſitionem appellationemque, ut inde conjici quoque poſſit, Aquilejenſem Epiſcopum ſollicitudine ſua Iſtriæ Eccleſias procuraſſe, eaſque ſibi primum jure Metropolitico ſubjeciſſe.

Hoc idem argumentum ad Venetię pertinet Eccleſias, cum ipſis eadem, ac Iſtriæ ſors una obtigiſſe videatur: unde ſchiſmatis tempore eas Aquilejenſi Provinciæ adjectas, nemo dixerit. Veneti Epiſcopi, ac etiam Rhæti ſatis in libello ad Mauricium dato ſignificant, non alium ante ſchiſma præter Aquilejenſem habuiſſe Metropolitam. Nedum enim Severum, quo inter vivos agente libellum conſcripſere; ſed etiam Eliam deceſſorem, *ſuum* vocant *Archiepiſcopum*, matremque ſuam Eccleſiam Aquilejenſem; ſeque jactant, *ab initio motionis cauſa* trium capitulorum, Romani Pontificis communionem cum Metropolita Aquilejenſi vitaſſe. Itaque vel primo tem-

pore, quo eruperat ſchiſma, jus illi Aquilejæ Metropoliticum agnoſcebant, quod antea ſemper agnoverant.

De Rhætis eiſdem, Noriciſque Eccleſiis aliud extat inſigne in eodem ſchiſmaticorum libello teſtimonium. Imperatori ſignificant illi imminentem Eccleſię ſuę Metropolitanę Aquilejenſis diſſolutionem, niſi brevi Romani Pontificis, & Exarchi compulſio remota fuerit: cum enim *Galliarum Archiepiſcopi vicini ſint*, qui neminem ad trium damnationem capitulorum compellunt, *ad ipſorum ſine dubio ordinationem accurrent*, ſi qui poſt ipſos electi fuerint Epiſcopi. Ideo magis timendum ſcribunt, quod jam *ante* aliquot *annos in tribus Eccleſiis noſtri Concilii*, ut ajunt, *ideſt Beconenſi, Tiburnienſi, & Auguſtana Galliarum Epiſcopi conſtituerant Sacerdotes*. Tres hoc loco memorant Eccleſias Norici, & Rhętię: eaſque ad *Concilium* Aquilejenſis Provincię pertinere teſtantur. Jamvero eas ante ſchiſma Metropolitę Aquilejenſis prefecturę obnoxias fuiſſe, temporis nota evincit, quo Rhętię, Noricum, alięque Provincię, devictis Alemannis domitiſque, ceſſerunt Francis. Tunc enim in Eccleſias gentium, quę Francorum jugo nuper ſubjectę fuerant, ſibi jus vendicavere Galliarum Archiepiſcopi. Verum id accidiſſe Theodeberto Auſtraſię Rege, qui regnum tenuit ad annum uſque DXLVIII. ac primis Theodebaldi ſucceſſoris annis, adnotavimus capite 13. unde Noricum, Rhętiamque tot ante ſchiſma annis ad Aquilejenſem Provinciam ſpectaſſe, certiſſime conſtat.

Noricum, & Saviam, atque Pannoniam primam Aquilejenſi Metropoli adjectam in diſperſione Sirmienſis

ſis Diœceſeos per Attilam Seculo quinto, cenſet E-manuel Schelſtratius. Viri doctiſſimi ſententiam ad examen vocat Marcus Hanziſius Tom. 1. Germanię Sacrę capite 12. Quę ad noſtrum magis facere inſtitutum videntur, paucis colligo, ac profero. Ad Pannoniam quod attinet, longe veriſimilius arbitratur Hanziſius, eam veniſſe (ſi tamen antea Sirmio paruerit, quod ipſe inficiatur) in ſortem Eccleſię Laureacenſis *: quam & deinceps* (ait) *conſtat ſub ejus poteſtate fuiſſe*. Obſtare videtur Epiſcopi *Scaravaſienſis* in Gradenſi Concilio ſubſcriptio: quam tamen inſuper habendam, reponit Hanziſius, quod *vocabulum illud aliter, atque aliter in diverſis exemplaribus exprimatur*; ut *nil cauſa ſit*, ob quam *de Scarabantia, Pannonię primę civitate, intelligi* debeat. Sane Epiſcopus idem *Scaravaſienſis*, *Scaravenſis*, *& Caravaſenſis* in variis codicibus legitur: adnotaverim tamen, non adeo eadem vocabula videri deformata, quin ipſam *Scarabantiam*, Pannonię urbem, ſatis apte exprimere queant.

De Norico mediterraneo, quod ſpectaſſe nunquam ad Sirmienſem Metropolim contendit Scriptor idem diligentiſſimus, dubium movet: *utrinam Metropoleon, Aquilejenſis, & Laureacenſis, a primordio ſuſcepta Religionis, ac deinceps ad tempus uſque vaſtati Sirmii, aliquantoque deinde paruerit?* Utriuſque partis rationes expendit: favetque demum Aquilejenſibus contra Laureacenſes. Hæc ejus præcipua momenta ſunt, *Pro Aquilejenſibus*, inquit, *eſt primum poſſeſſio poſteriorum temporum, ex quibus argumentum promovent ad anteriora. Deinde jus originarium fundatum in eo, quod Eccleſiæ Norici originem accepere ab Aquilejenſi:*

quod

quod vel ipſe locorum ſitus ſuadere videtur. Contigui enim ſunt Norici Aquilejenſibus: quin ipſa Aquileja Civitas nonnullis Norico adſcribebatur. Strabo eam a Noricis, & Carnis incoli ſcribit. Vano etiam conatu quiſpiam contenderet, Laureaco circa annum DLXVIII. ab Hunnis, ſeu Avaribus exciſo, tum ſe Noricos Aquilejenſi Metropolitæ dediſſe, ſchiſmatis tempore. Prædictum enim exciſi Laureaci annum a Pagio poſitum rejicit ſæpe laudatus Hanziſius Tom. cit. Cap. 18. probatque, *uno & dimidio ſeculo ſerius* Laureacenſem cladem contigiſſe. Atque demum jam ante ſchiſma, Galliarum Archiepiſcopos in *Tiburnienſem* Norici Eccleſiam, ævo illo Aquilejæ ſubjectam, ſibi jus vendicaſſe demonſtravimus,

Haud vero inficias iverim, aliquas Eccleſias intra eoſdem civilium Provinciarum fines, eodem tempore, remotiorique præſertim ætate, ab alio quoque potuiſſe Metropolita procurari; cum ſatis mihi fuerit, Metropoleos Aquilejenſis amplitudinem ad prædictas omnes Provincias extenſam oſtendiſſe. Metropoleon quoque mutationes notiſſimæ ſunt: ac nemini notum non eſt, ſuffraganeas Eccleſias ab altero ad alterum ſucceſſu temporum tranſiiſſe Metropolitam. Sic enim Mediolanenſi v. g. Metropoli Veronam olim paruiſſe, certum eſt: quod etiam de Tridento, ut aliud afferam exemplum, conjiciunt aliqui. Illud unum inficior, in Eccleſias illas occaſione ſchiſmatis, ejuſque ſolum tempore jus obtinuiſſe Aquilejæ Metropolitam.

Pauca de hiſce Eccleſiis, quæ in exemplum adductæ ſunt, ſubjicere hoc loco liceat. Extat Ambroſii Mediolanenſis epiſtola num. 19. in noviſſ. edit. ad Vigilium Tridentinum, qua ipſi recens ad Epiſcopa-

tum

tum evecto optimæ inſtitutionis forma traditur. His epiſtolam orditur verbis Ambroſius: *Popoſciſti a me inſtitutionis tuæ inſignia, quoniam novus accitus es ad Sacerdotium. Et quoniam te ipſum ædificaſti, ut oportuit, qui dignus habitus es tanto munere, quomodo & alios ædifices, ſignificandum videtur.* An Vigilius ab alio, quam a Metropolita ſuo, poſtulaſſet Epiſcopus factus inſtitutionem? Id ipſum feciſſe, dicerem ego: prædictaque epiſtola minime jus Metropoliticum evinci, ſed ſanctitatis atque doctrinæ manifeſtari claritatem, qua ævo illo maxime fulgebat Ambroſius. Epiſtolæ porro verba ſi expendantur, eam ad Vigilium ſcriptam a Viro Sanctiſſimo Ambroſio diſcimus, ut ejus faceret ſatis petitionibus. Metropolitica ſollicitudo non apparet: *accituſque ad Sacerdotium* cum dicitur Vigilius, ab alio proprio paſtore ipſum fuiſſe Tridentinę Civitatis ordinatum Antiſtitem, ſatis indicatur.

Rem confirmant Vigilii acta apud Continuatores Bollandi die 26. Junii Tom. 5. Hæc in illis verba leguntur: *Invitatus Epiſcopus Aquilejenſis Eccleſiæ B. Vigilium extra muros Civitatis Tridentinæ ad eamdem ſedem gubernandam conſecravit Epiſcopum.* Sequentes appingunt notas Bollandiſtæ. 1. In aliis actis *Aquilejenſis Patriarcha* legitur: quam eſſe phraſim recentiorem, recte monent: adeoque hæc ab illis edita Vigilii acta, veluti antiquiora & ſinceriora, jure optimo aſſerunt. 2. Memoratum Aquilejenſem Epiſcopum intelligunt Valerianum. Hunc Fortunatiano, Arianę hæreſeos propugnatori, ſuffectum ſcribunt *ſub annum CCCLXXXI. aut etiam prius.* Annum CCCLXVIII. deſignat Dandulus in Chronico. Sed anno circiter CCCLXXXV. adligat Nicolaus Nourrius Vi-

gi-

gilii Epiſcopatum, ad ipſumque datam Ambroſii epiſtolam, cum anno CCCLXXXI. adhuc in vivis ageret Abundius, Vigilii Deceſſor, adfueritque Synodo Aquilejenſi eodem anno celebratæ. 3. Extra muros Civitatis Tridentinę Vigilius dicitur a Valeriano conſecratus: quia ſcilicet, Civibus adhuc majorem partem gentilibus, nulladum ſacra ædes erat in urbe, aliqua autem in ſuburbanis. 4. His addo, Valeriani ſaltem ætate Eccleſiam Aquilejenſem in Metropolim erectam fuiſſe, fere communi omnium conſenſu: unde conficitur, Vigilium Tridentinum ab illo ordinatum, inter ejus debere Suffraganeos numerari.

Longe certius eſt, hoc ævo ad Mediolanenſem Metropolim ſpectaſſe Veronam. Peremptorium argumentum ſumitur ex ejuſdem Ambroſii epiſtolis 5. & 6. noviſſ. edit. anno circiter CCCLXXX. ſcriptis, ubi Vir ſanctiſſimus latam abs ſe ſuaque Synodo ſententiam in cauſa Indiciæ ſacræ Virginis tuetur; graviterque Syagrium ejus urbis Antiſtitem arguit, quod in judicio ab ipſo habito legitima forma ſervata non fuerit. Splendidius Metropolitici juris adduci momentum non poteſt. Qua vero de cauſa, quove tempore, Veronenſis Eccleſia, relicto Mediolanenſi, ad Aquilejæ Metropolitam acceſſerit, non omnino conſtat. Veriſſima eſt doctiſſimorum Virorum animadverſio: ſibi Epiſcopos primis illis temporibus eas feciſſe jure Metropolitico ſubjectas Eccleſias, quas ab hæreſibus vindicarent ipſi, aut idolorum cultu extincto latius augerent. In Veronenſi vicina Eccleſia id Aquilejæ Metropolitæ præſtare potuerunt; quod etiam a Vigilio Tridentino, quem Aquilejenſis Epiſcopus Antiſtitem ordinaverat, validiſſime præſtitum, deturbatis

Ido-

Idolis, erectis Eccleſiis, Presbyteris initiatis, ejus acta teſtantur. Paſtoralis ergo ſollicitudinis merito ſibi fortaſſe ſubjecerunt Veronę Eccleſiam Aquilejenſes: eamdemque lubenti animo ceſſerunt Mediolani Metropolitę, non Diœceſeos amplitudinis, ſed Chriſtianę Religionis amplificandę percupidi. Hiſce in tenebris lucem clariorem vix optare licet: illudque certum eſt, Aquileję ante ſchiſma jam paruiſſe Veronam.

Mutationes interim ac detrimenta, quę hoc loco prętereunda ſunt, tempore ſuccedente paſſa eſt Provincia Aquilejenſis. Hanc limitibus adhuc ampliſſimam, jure Metropolitanam, honore Patriarchalem, Deceſſorum meritis ornatiſſimam, modo regit DIONYSIUS PATRIARCHA e Patricia DELPHINORUM Familia, infulis, purpura, togis, armis clariſſima. Laus ejus propria eſt morum integritas ad populorum exemplum compoſita, ſollicitum Religionis & Juſtitię ſtudium, rerum gerundarum abſolutiſſima ſcientia, profuſa largitas in Eccleſię decus gregiſque commodum, deque omnibus ad bene merendum prona & optima voluntas. Diutiſſime vivat ipſe Familię ornamento, bonarum artium ſplendori, Gregis felicitati, Eccleſię bono.

A D:

ADMONITIO

In Synodum ſequentem Mantuanam.

REm tibi non ingratam fore, humaniſſime Lector, confido, ſi oculis tuis Acta ſubjiciam hoc loco Synodi Mantuanæ, quam anno DCCCXXVII. pro cauſa Sanctæ Aquilejenſis Eccleſiæ celebratam fuiſſe, jam certo dici poteſt. Edita primum ea fuere meo conſilio, meaque opera anno MDCCXXIX. typis Venetis Sebaſtiani Coleti Tomo IX. Conciliorum; eiſdemque mihi notas apponere placuit, quæ locis quibuſdam facilius intelligendis ac illuſtrandis aptæ videbantur, ac neceſſariæ. Hæc eadem vero, cum frequentius in Diſſertatione, quam publici juris nunc facio, de ſchiſmate Eccleſiæ Aquilejenſis, in auctoritatem adducere contigerit, ſatis commodum intellexi, ſi libello adjicerentur, ne alibi quærenda moleſte forent, pro voto cujuſque conſpicienda, propriiſque oculis luſtranda. Sed alia quoque gravior eſt novæ editionis cauſa, plurium ſcilicet correctio mendorum, quæ typographorum oſcitantia, ac etiam minus perſpicua characterum exempli delineatione irrepſerunt, attentoque, licet lectori fucum facere non abſque verita-

tis

tis diſpendio poſſunt . Synodi hujuſce noſtræ memoravit acta Annalium parens , Cæſar Baronius , ad Annum DCV. num. 3. *itemque locum indicavit , ubi adſervarentur , Vallicellanam Urbis Bibliothecam* in vetuſto Codice, quo & Pauli Diaconi hiſtoria ſcripta habetur ; *duoque dedit fragmenta , queis fidem hiſtoriæ conciliaret . Tanti fecit eadem Vir ſummus , ut ſcribere non dubitaverit ,* veritatem geſtæ rei *(disjectæ nempe in duos Metropolitanos Diœceſeos Aquilejenſis)* ex Mantuano Concilio prodi : *eademque de re nonniſi* divinantes *dicere potuiſſe , qui præceſſere ſcriptores . Eadem acta vidit Hippolytus Doneſmundus , eademque compendio ſolum , ac italica vulgari lingua collecta ſuæ inſeruit hiſtoriæ Mantuanæ : quod idem poſt ipſum Joannes Franciſcus Palladius præſtitit in hiſtoria Forojulienſi : Antiſtitum , qui Synodo adfuere , ſola nomina recenſuit Ferdinandus Ughellius in Tabulis Mantuanis : ipſumque actorum locum , nihilque amplius , obtinuit Venetus Italiæ ſacræ editor , vulgavitque in Acilienſi Epiſcopatu . Cætera quæque nec pauca , nec modici pretii in pluteis latebant . Votis omnium denique factum ſatis , cum integra , aut certe prolixiora a Nicolao Minuccio Vallicellanæ Bibliothecæ Præfecto deſcripta , eademque a Viro humaniſſimo Bernardino Serlio Eccleſiæ Utinenſis Presbytero Canonico ad me* tranſ-

tranſmiſſa, prodierint Tomo IX. novæ Conciliorum Venetæ collectionis; quæ denuo typis edere emendatiora, pretium operæ duxi, prioribus jam vulgatis notis adjectis, uberiuſque confirmatis, ut quæ minus pervia occurrunt loca, pro modulo meo explanata cuique pateant.

SYNODUS

Quæ acta eſt in Civitate [1] *Mantua pro cauſa Sanctæ Aquilejenſis Eccleſiæ.*

Regnante Domino noſtro Jeſu Chriſto in perpetuum Anno Pontificatus Sanctiſſimi, & Univerſalis Papæ [2] Eugenii [3] quarto, & imperantibus piiſſimis, catholicis, & Dei cultoribus Chloduvico, & Chlottaro Divis [4] Imperatoribus anno ſeptimo & decimo, per Indictionem [5] quintam, octavo Idus Junii; ſecundum Dei gratiam, & ſanctionem eorum congregata Synodus in Civitate Mantua, in qua adfuerunt Vir venerabilis, & ſanctiſſimus [6] Benedictus Epiſcopus, & Leo reverendiſſimus Diaconus Bibliothecarius, Legati videlicet ſanctæ Romanæ Eccleſiæ, habentes locum Beatiſſimi Papæ Eugenii; Sichardus Palatinus Presbyter, & Vir ſpectabilis [7] Theoto, a præfatis Auguſtis directi; Petronaſque [8] Ravennatis reverendiſſimus Archiepiſcopus, atque [9] Angelpertus ſanctiſſimus Mediolanenſis Archiepiſcopus: Provinciæ Emiliæ, Andreas Ferarienſis Epiſcopus; Leo Faventinus Epiſcopus, Vitalis

lis Comaclenſis Epiſcopus, Chriſtophorus Bononienſis Epiſcopus, Nordebertus Regienſis Epiſcopus, Lantpertus Parmenſis Epiſcopus, Georgius Diaconus, Honeſtus Diaconus, Deusdedit Diaconus, Romanus Diaconus, alius Romanus Diaconus, Dominicus Diaconus: Liguriæ Provinciæ, Autericus Vercellenſis Epiſcopus, Rambertus Brixianus Epiſcopus, Erimpertus Laudenſis, Sineptus Cremonenſis, Epiſcopi: Venetiæ Provinciæ, Rattoldus Veronenſis Epiſcopus, Lajulfus Mantuanenſis, Franco Vicentinus, Dominicus Patavenſis, Adeodatus Tarviſanus, Emmo Cenetenſis, Otthelbertus Bellunenſis, Anſelmus Concordienſis, Auratus Feltrenſis, Arthemius (10) Azolenſis, Andreas Archidiaconus, agens vicem Heimberti Tridentini Epiſcopi.

Reſidentibus igitur in hac Synodo reverendiſſimis Epiſcopis, adſtantibus Diaconibus, & cætero Clero, veniens Vir ſanctiſſimus Maxentius Aquilejenſis Patriarcha, precum libellos pro diſperſione ſuæ Aquilejenſis Eccleſiæ obtulit, ut ſuæ Provinciæ Eccleſias, quas barbarorum incurſus a ſua Matrice ſegregaverat, authoritate canonum jam pacis tempore percipere mereretur ad propria. (11)

Nos, qui veritate perſpecta invenimus, a B. Evangeliſta Marco, qui ſpiritualis ex ſacro fontis utero ac cariſſimus Sancti Petri Apoſtoli fuit filius, necnon ab (12) elegantiſſimo Hermachora Aquilejenſem Eccleſiam præ omnibus in Italia Chriſti fide prius fundatam eſſe, & paſtoralem ibi ſemper curam ſervatam, & Sanctorum Apoſtolorum Sanctæ Romanæ Eccleſiæ doctrinis imbutam, atque ipſam ejus ſemper fuiſſe diſcipulam, & peculiarem ac Vicariam in omni-

P bus,

bus, quemadmodum inſertum in ejuſdem Aquilejenſis Eccleſiæ comperimus ſacris litteris:

Relatum (13) *igitur a nonnullis eſt, quod eo tempore, quo* (14) *Longobardi Italiam invaſerant, Romanam Eccleſiam Vir Sanctiſſimus Benedictus Papa regebat; Aquilejenſi quoque Civitati, ejuſque Populo Paulus Patriarcha praerat, qui Longobardorum barbariem & immanitatem metuens, ex Civitate Aquilejenſi, & de propria ſede ad Gradum Inſulam, plebem ſuam, confugiens, omnemque theſaurum & ſedes Sanctorum Marci & Hermachora ſecum ad eamdem Inſulam detulit; idcirco non ut Sedem, aut Primatum Eccleſia ſua, ſuaque Provincia* (a) *conſtrueret ibi; ſed ut barbarorum rabiem poſſet evadere. Qui XII. annis* (15) *Sacerdotium gerens ab hac luce ſubtractus eſt, regendamque Eccleſiam Probino reliquit. Iſto quoque Aquileja defuncto, prafata Aquilejenſi Eccleſia Sacerdos Helias praficitur: & hoc quoque mortuo, Severus huic ſuccedens regendam ſuſcepit Eccleſiam. Defuncto itaque Severo* (16) *ordinatur loco ejus Joannes Patriarcha in Aquileja eo tempore, quo Agilulfus, Rex Longobardorum, regnabat: in Gradu quoque ordinatus eſt* (17) *hareticus Candidianus Antiſtes. Hic* (18) *enim Candidianus, nec per conſenſum Comprovincialium Epiſcoporum, nec in Civitate Aquileja, ſed in Diœceſim & plebem Aquilejenſem Gradus, qua eſt parva Inſula, contra Canonum ſtatuta, & Sanctorum Patrum decreta ordinatus eſt. Et inter alia probat hoc hujus Aquilejenſis Eccleſia Joannis Antiſtitis epiſtola, ad Agilulfum Regem directa, cujus textus inter catera ad* „ (b) *ſuccum talis eſt.* „ Qualis autem unitas dicitur fa-

(*a*) Baronius; *conſtitueret*. (*b*) Baron. *locum*.

„ facta, ubi ſpata, ubi clauſtra carcerum, ubi fla-
„ gella fuſtium, & ubi longa exilia, crudeliumque
„ pœnarum diſcrimina parabantur? Et miſeri ſuffra-
„ ganei Eccleſiæ noſtræ, ſcilicet Epiſcopi [19] Iſtriæ,
„ cum ſumma vi ac neceſſitate a Gradenſi Caſtro
„ Ravennam compulſione diſtrictiſſima ducebantur
„ Græcorum: necnon & inibi loquendi licentia ne-
„ gabatur. Atque Candidianus inutilis, qui ſe ob ſui
„ ſceleris immanitatem a præfatæ ſanctæ recordatio-
„ nis D. Severo Deceſſore noſtro ſub anathematis
„ interpoſitione obligatus eſt, ne ad potiorem gra-
„ dum unquam accederet, (*a*) quoniam a ſe, eique
„ corde faventibus, in prædicto Gradenſi Caſtro adul-
„ terium Matri Eccleſiæ improbe [20] ingerens....
„ ordinatur Epiſcopus. Et Petrus, Providentius, ſeu
„ Agnellus, Epiſcopi Iſtriæ, qui adhuc fidem ſan-
„ ctam tenebant, & Candidiano nondum conſentie-
„ bant, de Eccleſiis ſuis a militibus tracti, & cum
„ gravi injuria & contumeliis ad eum venire [21] com-
„ pulſi ſunt: ſi enim ei recte conſentientes eſſent, volun-
„ tarie illi conſentire debuerant, non per vim. *Et*
„ *poſt pauca*. Sic laborate & agite, quatenus & fi-
„ des catholica veſtris augeatur temporibus, & in
„ Gradenſi Caſtro, poſtquam infelix Candidianus de
„ hoc Seculo ad æterna ſupplicia tranſmigraverit, al-
„ tera iniqua ordinatio ibi minime celebretur, nec
„ Populus (*b*) in amplius tribuletur. Et vere ſi
„ hoc, Deo auxiliante egeritis, quod primum eſt,
„ Chriſtus Deus (*c*) pietati veſtræ erit bonorum
„ (*d*) omnium retributor. *Et quia Gradus mari &*

 flu-

(*a*) Baron. *quum*. (*b*) Baron. *iſte*.
(*c*) Baron. *poteſtati*. (*d*) Baron. *operum*.

fluctibus cingitur ; & Iſtria, quæ prius Aquileja ſua Metropoli ſubjecta fuerat, Smaragdo Exarcho (a) *reſiſtente, tunc a Longobardis capi non potuit, ſed ad jura Græcorum* (b) *tenebatur: quo factum eſt, quod Rex ei nullum potuit præſtare auxilium, ac per hoc, ipſo annitente Exarcho, Iſtriæ Epiſcopi de Eccleſiis ſuis a militibus Græcorum tracti ſunt, & hunc Candidianum ordinare compulſi.*

Antiquorum igitur recitatis hiſtoriis, Aquilejenſem matricem ſemper & Metropolim fuiſſe reperimus: Gradum autem plebem ejus eſſe omnino comperimus. Sed & Populi Polenſis, quæ Civitas caput eſt Iſtriæ, decretum ab univerſo clero, & cuncto Populo miſſum ad Sigualdum (22) *Patriarcham Aquilejenſem, qui uſque ad Franciſci tempora vixit, verum & probatiſſimum invenimus, ut electum ab eis Epiſcopum ordinaret. Sed & id non omittendum, quod & Clerici & Nobiles ex laicis Viris electi ab Iſtrienſi Populo, Sanctam Synodum ſupplicantes, venerunt, ut eos a Græcorum nequiſſimo vinculo liberatos ad Aquilejam ſuam Metropolim, cui antiquitus ſubditi fuerant, redire concedat; quia electi, qui ordinandi ſunt, prius piiſſimis* (23) *Imperatoribus noſtris, & poſtmodum ad partem Græcorum, fidem per ſacramenta promittunt: & ideo in hoc facto gravari ſe aſſerunt, & ſervire duobus Dominis non poſſe conclamant.*

Auditis itaque horum precibus, ſanctiſſimi & reverendiſſimi Legati S. Romanæ Eccleſiæ, Benedictus videlicet Epiſcopus, & Leo Diaconus, univerſa, quę Maxentius Patriarcha Aquilejenſis in libello obtulerat, authoritateſque veraciſſimas quæ in hac Synodo pro-

(a) Baron. *exiſtente*. (b) Baron. *tranſiit*.

prolatæ ſunt, recitatis etiam canonibus, recapitulando cuncta per ordinem protulerunt; interrogatiſque ſingulis Epiſcopis, utrum juſta ſit, an injuſta Iſtrianorum petitio, & ſi ſecundum has authoritates Aquileja ſemper Metropolis fuerit, aut ſi Provincia, quæ contra canonum ſtatuta in duos Metropolitanos diviſa eſt, ad unam & primam reformari debeat; & ſi placet eorum petitio, clara voce proferte. Univerſi reſpondentes dixerunt: *Juſta eſt Iſtrianorum petitio; & quia Aquileja ſemper Metropolis extitit, dominaque fuit Gradenſium, novimus; & quia contra Patrum decreta diviſa eſt, ideo authoritate Patrum ad priorem ſtatum reformetur, omnibus nobis placet*. Et illi reſpondentes dixerunt: *Et nobis id placet*.

Statuit igitur Sancta Synodus, ut Aquileja Metropolis, quæ contra Patrum ſtatuta diviſa in duos Metropolitanos fuerat, deinceps ſecundum quod & antiquitus erat, prima & Metropolis habeatur: & Maxentius Sanctæ Aquilejenſis Eccleſiæ Patriarcha, ejuſque Succeſſores in ſingulis Iſtriæ Eccleſiis electos à Clero & Populo ordinandi in Epiſcopos licentiam, ſicut & in cæteris Civitatibus ſuæ Metropoli ſubjectis, modo & futuris temporibus habeat.

Deinde ergo hoc ſtatuentibus & loquentibus, Legati Sanctæ Romanæ Eccleſiæ, & præfati illuſtrium Imperatorum Miſſi exorſi ſunt, palam omnibus dicentes: *Notum ſit univerſis præſentibus & futuris in hac Synodo, & noſtris definitionibus affectum animi & conſenſum Domini Papæ eſſe Eugenii, atque piiſſimorum Chloduvici ac Lotharii Imperatorum, quatenus Aquilejenſis Eccleſia ad priſtinum reformetur decus, nunc & in perpetuum*.

P 3 Sane

Sane & neceſſario id (24) indicandum duximus; quod Sichardus, ideſt Palatinus Presbyter, & Theoto Vir ſpectabilis, Sacrorum Imperatorum Miſſi, cum eſſent prius in Civitate Tarviſio, ad Venerium Gradenſem Epiſcopum ſuum miſſum miſerunt, præcipientes ut ipſe ad Synodum, quæ Mantuæ futura erat, cum authoritatibus ſi haberet pro defenſione ſuæ Eccleſiæ, paratus adeſſet: in qua ejus præſtolantes adventum, diebus quinque reſiderunt. Sed propter quorumdam Epiſcoporum ad hoſtem pergentium impedimentum, jam cœpto ipſorum itinere, plus expectare nequiverunt.

Tamen adhuc eis ſtantibus hic, tandem venit Tiberius, Diaconus, & Oeconomus Eccleſiæ Gradenſis, a Venerio ejuſdem Caſtri Epiſcopo miſſus, obſecrans ut authoritates, quas pro ſua Eccleſia duxerat, in præſentia Synodi legerentur. Relectis itaque omnibus, reperimus exemplaria e nullius manu eſſe roborata, & quamvis ita ſint ac eſſent firmata, magis Aquilejenſi Eccleſiæ, quam ſuæ pertinerent. Cumque a Synodo ſciſcitaretur, utrum horum exemplorum authentica in Archivio ſuæ Eccleſiæ tenerentur, nec ne: Reſpondit, *nihil amplius habere, niſi Synodum* (25) *ab Helia Aquilejenſi Patriarcha in Caſtro Gradenſi, quod plebs ejus erat, actam fuiſſe*. Cujus initium eſt: *Cum in Caſtro Gradenſi, ac plebe ſua, Helias Patriarcha Sanctę Aquilejenſis Eccleſię cum Marciano, Leoniano, Petro, Vindemio, Vigulo, Joanne, & reliquis Conſacerdotibus ſuis conſedit*, & reliqua. Item ſubſcriptiones Epiſcoporum hujus Synodi in Plebe Gradenſi actæ. *His geſtis apud nos habitis* (26) *ſubſcripſerunt, Marcianus Opitergienſis, Leonianus Tibor-*

berníenſis, Petrus Altinatis, Helias Sanctę Aquileienſis Eccleſię Patriarcha, Vindemius Ceſſenſis, Vigulus Pataviensis, Joannes Celejanenſis, Clariſſimus Concordienſis, Patricius Emonenſis, Hadrianus Polenſis, Maxentius Julienſis, Severus Tergeſtinus, Joannes Parentinus, Aaron Avorienſis, Martinus Sabionenſis, Flaminius Tridentinus, Vigilius Scaravaſienſis, Laurentius Feltrinus, Marcianus Petenatis. Item (27) Excerptum ex ſuggeſtione Iſtrienſium, & Venetiarum ad Papam Gregorium miſſa, quam præfatus Tiberius Synodo obtulit, cujus initium eſt: *Suggerendo ter beatiſſimo, atque Apoſtolico, totiuſque Orbis terrarum Capiti, Domno Gregorio, Univerſali Papæ, cuncti Epiſcopi Hiſtrienſium, & Venetiarum Provincię, ſeu cuncta generalitas populi Gradenſis Oppidi, & plebis ultimi ſervuli veſtri.*

Ad ſuccum cuncta liquidius in veritate ſuggerere non omiſimus. Tempore igitur Aquileja Civitate ſtante in Heſperia, illuc (28) S. Marcus Evangeliſta ad prędicandum ab urbe Roma, ſcilicet a Beatiſſimo Petro Principe Apoſtolorum directus eſt: per cujus vero prędicationem veraciſſimam orthodoxa fides Chriſti populo commoranti inibi ab eo tradita eſt, & uſque nunc ibidem immutabilis manet: necnon ab ea exordium Chriſtianitatis non ſolum ſumpſit Italia, verumetiam multę aliæ Provinciæ. Beatiſſimus igitur Marcus Evangeliſta Aquilejæ reſidens, vultum Beati Petri Apoſtoli videre deſiderans, Romam urbem regrediens, & ſecum elegantem Virum, Hermachoram nomine, ab omni electum clero & populo deferens... & ab ipſo B. Petro Apoſtolo Aquilejæ urbis ordinatus & conſtitutus eſt Pontifex: deinde Hermachoram pro-

ton Italię Pontificem conſtituit. Pontifices adhuc Aquileja in Civitate ſtantes ſexto milliario in loco, qui Gradus nuncupatur, munitionem quamdam conſtruxerunt, in qua etiam Dei Eccleſiam mirifice fabricaverunt, quatenus ęſtivo tempore ibi degentes Aquileję Pontifices poſſent ardorem ęſtatis evadere. Et notandum, quod omnes Iſtrienſium Civitates, ac reliquę quas hęc notat Synodus, Aquilejæ Civitati, quæ caput & prima eſt totius Italiæ, ſubjectæ ſunt.

Item in ultimo interrogatus eſt Tiberius, Diaconus, & Oeconomus Gradenſis Eccleſię; ut proprio ore proferret, qualis harum duarum diviſionum ſedes, quę contra canonum ſtatuta partita eſt, prima & Metropolis fuerit? Qui conſtanter, clara voce profeſſus eſt: *Negare non poſſum, quia ego, & pene omnes ſciunt, Aquilejam Civitatem primam & Metropolim eſſe, & a Beato Marco & Hermachora in Chriſti fide fundatam: Sed propter oppreſſionem Paganorum Helias Aquilejenſis Patriarcha ad Gradum veniens, in Diœceſi & plebe ſua habitavit, & ſuorum Epiſcoporum ibi Synodum egit.*

Interim ſcimus, quod a B. Marco uſque ad Paulum Patriarcham, qui ad Gradum plebem ſuam confugit, ſunt XX. Patriarchę, (29) qui venerabilem ſedem Aquilejenſem tenuerunt, & Gradum judicaverunt ita, ut unum proprium de titul. A Paulo quoque Patriarcha uſque ad Joannem Patriarcham, ubi inter Aquilejenſem Sedem, & Gradum plebem ejus diviſio facta eſt, ſunt Patriarchę (30) quinque, qui omnes ut eſſet judicaverunt, uſque ad Candidianum hęreticum, qui hanc diviſionem cum Gręcis, qui totam Iſtriam ſuo quoque jure tenebant, geſſit.

Deſinit exemplar Privilegij Aquilejenſis Eccleſiæ.

NO-

N O T Æ

In præcedentem Synodum.

1. SYnodi hujuſce Mantuanę mentio habetur in Catalogo Patriarcharum Aquilejenſium, quem vulgavit Ludovicus Antonius Muratorius Tom. IV. Anecdot. alioque ſimili Mſ. melioris notæ, quem penes me habeo. Ubi de Maxentio Patriarcha agitur, hæc leguntur: *Ad ejus* (Maxentij) *preces Beatus Auguſtinus* (in Mſ. *Eugenius*) *Papa, & Ludovicus Imperator ad inſtantiam Lotharii, filii dicti Ludovici, univerſalem Synodum Mantuæ celebrarunt, in qua, eodem Maxentio reclamante* (in Mſ. *proclamante*,) *quod quidem Venerius falſo ſibi nomen Patriarchæ in Gradu Inſula plebis Aquilejenſis* (in Mſ. *plebe Aquilejenſi*) *uſurpaverat: & retracta* (in Mſ. *retractata*) *hujuſmodi cauſa per dictam Synodum declaratum fuit, Gradum eſſe plebem Synodali jure Eccleſiæ Aquilejenſi ſubjectam.* Paucis enarrantur, quæ prolixius acta proferunt. Venerius ipſe, Gradenſis Patriarcha, eamdem innuit Synodum ſibi adverſam in Epiſtola ad Gregorium IV. qui poſt paucos Pontificatus Valentini dies Eugenio ſucceſſit. Edita Venerii epiſtola eſt typis Sebaſtiani Coleti Tom. V. Italiæ Sacræ in Gradenſibus Patriarchis ex vetuſto codice Bernardi Triviſani, Patricii Veneti. Hæc ſcilicet ſcribit ille: *Sed quia minime a veſtra ſaluberrima pietate judicari maluit* Maxentius, *Mantuæ quoque ſuggeſſit cauſam finiendam... Nunc autem, ſicut cognovimus, gloriatur ſe idem Maxentius palam, per præceptum Domini Imperatoris Diœceſim Iſtrienſium habere: & ipſi electi poſt octavas Paſchæ præparant ſe ad ordinationem.* Synodum aperte memorat, quam celebrari Mantuæ debere ſuggeſſit Maxentius, obtinuitque: ſed in ea latam pro Aquilejenſi Metropolita ſententiam diſſimulare videtur Venerius, qui novam coram Gregorio Papa litem intentaverat, Imperatoris præcepti duntaxat mentione facta. Rem quoque cer-

certiſſimam ſilentio præterit Dandulus, qui Gradenſibus favebat, in Chron. Lib. 8. cap. 3. par. 8. *Per idem tempus*, inquiens, *Maxentius Patriarcha Aquilejenſis, Lotharii Regis fultus favore, Gradenſem Eccleſiam in ſuffraganeis Iſtriæ turbare nititur; nec a Gregorio Papa admonitus deſiſtere voluit*. Bis hac de re litem motam, ſub Eugenio, & ſub Gregorio IV. ac bis cecidiſſe cauſa Venerium, oſtendimus in Diſſertatione cap. 21.

2. Eugenium II. intellige, non I. ut perperam contendit Scipio Agnellus Maffejus in Annalibus Mantuanis, prædicta Mantuana Synodo anno DCLV. illigata. Apertiſſimum putidumque produnt errorem ipſius Concilii argumentum, diſſidentium Metropolitarum, Maxentii, & Venerii ætas, Auguſtorum denique, Ludovici & Lotharii, atque Antiſtitum, qui Synodo adfuere, tempora.

3. Paſchali ſucceſſit Eugenius II. anno DCCCXXIV. De menſe, dieque menſis controverſia eſt. Menſem Majum amplectitur Baronius, diemque *decimum quartum* ante Calendas Junias. Junius, ejuſque dies *quinta* Papebrochio placent, Quartam decimam Februarij diem ſeligit Pagius. Quartus ejuſdem Pontificis annus quinta ſaltem die Junij menſis anni DCCCXXVII. incipere debuit. Hujuſce anni menſi Auguſto obitum Eugenij conſignant veteres Annaliſtæ, ac recentes. Dicitur vero Synodus coacta VIII. idus, ſeu die ſexta Junij, qua jam quartum auſpicatus annum erat Eugenius.

4. Lotharius, Ludovici Pij filius, dicitur *Imperator*, quod anno DCCCXVII. conſors imperij in Conventu Aquiſgranenſi dictus a Patre fuerat. Id contigiſſe *III. Kal. Auguſti*, ſcribit Baluzius in notis ad Agobardum, fide allegata inediti Annalium Anianenſium Auctoris. Adnotat vero Pagius, eo anno *feriam quintam* in illum diem incidiſſe; adeoque Lotharium, ſi nuncupatus Imperator ea die fuerit, minime tamen coronam accepiſſe, cum hujuſmodi ceremoniæ per hæc tempora dominicis diebus, aut ſolemnibus feſtis peragerentur.

5. Indictio *quinta*, & *quartus* Eugenij Papæ annus, ac dies *octava* ante Idus Junij annum æræ vulgaris chriſtia-

ſtianæ deſignant DCCCXXVII. Epochiam confirmari puto ex epiſtola citata Venerii, Gradenſis Patriarchæ, quæ ad Gregorium IV. ſtatim ac in Petri ſedem conſcendit, data videtur, ut ab eo contra Mantuanæ Synodi ſententiam auxilium impetraret. Anno eodem DCCCXXVII. ad finem vergente veriſimilius eſt, Gregorium ſuffectum fuiſſe Eugenio, qui menſe Auguſto de vita migravit, ac Valentino, qui *vix in Pontificatu unum menſem complevit*, ut ait Eginardus in Annalibus. Hinc fœdiſſime erravit Scipio Agnellus Maffejus, qui in Annalibus Mantuanis coactam Synodum ſcribit ſub Eugenio I. anno DCLV. Veram quoque temporis notam aſſecutus non eſt Hippolytus Doneſmundus, qui annum deſignat DCCCXXVIII. cum quo perperam a die ſexta Junij *quartum* annum connectit Eugenij II. Suam prodit inconſtantiam Ughellius. Synodum refert in Epiſcopis Mantuanis ad annum DCCCXXVIII. in Cremonenſibus, Ferrarienſibus, Parmenſibus, Regienſibus, Vercellenſibus ad annum DCCCXXIV. in Aquilejenſibus ad annum DCCCXXVI. Annum inſequentem, ac verum notaverat in Bellunenſibus, Concordienſibus, & Tarviſinis: quem tamen correctum in ora paginæ legimus, repoſitumque annum præcedentem. Synodum eamdem ad annum DCCCXXXV. differt Cointius; ac cenſet, ſub Gregorio IV. celebratam fuiſſe. Catalogi Aquilejenſes, & ipſius acta Synodi, quæ minime vidit Vir doctiſſimus, repugnant. Annon vero faveant illi Venerii verba in Epiſtola citata ad Gregorium: *ſed quia minime a veſtra ſaluberrima pietate judicari maluit* Maxentius, *Mantuæ quoque ſuggeſſit cauſam finiendam*? Detrectabat ergo Aquilejenſis Metropolita judicium Gregorij, litemque finiendam Mantuæ in Concilio ſuggeſſit. Pro certo habeo, priora Venerij verba, quæ ad Gregorium directa videntur, de Sede Apoſtolica intelligi debere, cujus judicium jam ante ſub Eugenio poſtulabat Venerius, Maxentius declinabat. Mantuæ litem dirimendam in Synodo ſuggeſſit Metropolita Aquilejenſis: quod etiam obtinuit a Ludovico, & Lothario Imperatoribus, Eugenio Pontifice adſentiente. Rem certiſſimam acta faciunt.

ciunt. Queritur ergo Venerius de ſententia Synodi, licet eam diſſimulare videatur, opemque implorat Gregorij. Novam ſub iſto Pontifice litem actam, proque voto Aquilejenſis Patriarchæ latam ſententiam, oſtendimus in Diſſertatione cap. 21. Sed hoc anno DCCCXXVII. a die quinto Kal. Februarias annum Imperij XIV. numerabat Ludovicus: unde librariorum oſcitantia error irrepſit in annum, qui conſignatus legitur in codice, *ſeptimum & decimum*. Si anni prædicti ita diſtribui debeant, ut prior numerus Ludovici, poſterior Lotharij imperio tribuatur; perperam adhuc *ſeptem* Ludovici notantur anni; *decem* vero Lotharij, qui conſors imperij dictus fuerat, recte numerantur: decimus enim ejus annus anno præcedente DCCCXXVI. Julio menſe cadente, aut initio Auguſti incepit.

6. Anno præcedente DCCCXXVI. in Concilio Romano ſub Eugenio II. ſubſcriptus legitur *Benedictus* Epiſcopus Albanenſis, itemque alius *Benedictus* Amerinæ Epiſcopus. An alteruter, an alius præfuerit legatus Mantuanæ Synodo, ignotum.

7. Theotonem Ludovici, & Lotharij Imperatorum *Miſſum* nihil dubito, eumdem eſſe ac Theotonem, ſeu Theodonem, Theudonemve, qui munus Cancellarij geſſit ab anno XVIII. ejuſdem Ludovici Auguſti. Vide Mabillonium de Re Diplomat. Lib. 2. cap. 12.

8. Petronas, Pertarax, ac Petronacius appellatus legitur. Rubeus, & Ughellius eumdem collocant Ravennæ Archiepiſcopum ab anno DCCCXVIII. ad DCCCXXXV. Ordinationem ejus adligat Bachinius anno DCCCXXI. Sed hanc fuiſſe peractam ſaltem anno DCCCXIX. adnotat Ludovicus Antonius Muratorius Tom. 2. Rer. Ital. in Præfat. ad Agnelli Librum Pontificalem; probatque ex *diplomate Paſchalis Papæ*, eidem Patronacio *Indictione XII.* ideſt anno DCCCXIX. *conceſſo*. Idem Ravennæ Antiſtes ſubſcriptus legitur in citata Synodo Romana ſub Eugenio II. anno DCCCXXVI.

9. Angelpertum, ſeu Angelbertum hujus nominis II. Mediolani fuiſſe Archiepiſcopum ab anno DCCCXXIV. ſcri-

ſcribit Papebrochius in Tract. 2. præ'imin. ad Tomum 7. Maij. Sequentium Epiſcoporum non pauci ex hac Mantuana Synodo inoteſcunt, cujus fide allegata eos in propriis Tabulis recenſet Ughellius.

10. An Arthemius *Azolenſis* dici debeat Oppidi Epiſcopus, quod vulgo dicitur *Aſolo* in Marchia Tarviſina? Numerat ſane Paulus Diaconus Lib. 3. hiſt. Langobard. cap. 26. *Agnellum de Acilio* inter Epiſcopos, qui Synodo ſchiſmaticæ Marianenſi interfuerunt. Vocat eumdem Agnellum *de Aſilo* Dandulus in Chron. Lib. 6. cap 2. Diploma fertur Tomo V. Italiæ Sacræ edit. Ven. ab Othone I. conceſſum Roccio, ſeu Rozoni Epiſcopo Tarviſino, ſignatumque *anno Dominicæ Incarnationis DCCCCLXVIIII. Indictione* XII. ipſiuſque Othonis *unno VIII.* in quo dignitatis Epiſcopalis, qua fulgebat olim Aſilenſis Eccleſia, mentio habetur his verbis: *Offerimus Sanctæ Tarviſianenſi Eccleſiæ, in honorem Beati Petri Apoſtolorum Principis ædificatæ, in qua Rozo Epiſcopus præeſſe videtur, Caſtrum de Aſilo cum Eccleſia in honorem B. Virginis Mariæ constructa, quæ olim caput Epiſcopatus ipſius loci, & domus eſſe videbatur.* In diplomatibus aliiſque vetuſtis monumentis *Videri* perinde ac *Eſſe* accipi debere, notiſſima res eſt: eodemque in loco Diplomatis Othoniani cum legimus, Rozonem *Videri* Epiſcopum præeſſe Tarviſinæ Eccleſiæ, ſatis intelligimus, prædictæ Eccleſiæ ipſum eo tempore *fuiſſe* Epiſcopum, quo privilegium largitus eſt Otho. Venetus Ughellii Editor poſt Sigonium conjicit in Epiſcopatu Acilienſi, & in Sacillanenſi Tom. X. Italiæ Sacræ, Agnellum *de Sacillo*, non *de Acilio* legendum eſſe; eumdemque Epiſcopatum *Sacillanenſem* confirmari poſſe ex *Codice Fiſci Apoſtolici*, & *ex Provinciali Romano*. At hæc citata monumenta jam ante expenderant Carolus a S. Paulo, & Lucas Holſtenius in Geographia ſacra; neque *Sacillanenſem* Epiſcopatum invenere. Alibi fruſtra Epiſcopalem *Sacilli* cathedram quæras: atque demum Agnellum *de Acilio* habet lectio conſtantiſſima editorum manuque ſcriptorum codicum. Agnellum *Acilienſem* inter ſubſcriptos Maria-

nenſi

nenſi Conciliabulo Antiſtites retinet Jo: Franciſcus Palladius Lib. 1. Rerum Forojulienſium; aliumque adjicit abſque nomine *Sacillanum* Epiſcopum, his verbis: *Maxentius Utinenſis*, *Adrianus Polenſis*, *Epiſcopus Sacillenſis*, *& Maranenſis*. More ſuo fabulas canit Palladius. I. In aliquibus Diaconi codicibus præter *Epiſcopos decem*, qui Synodo Marianenſi dicuntur adſuiſſe, duos addi, *Maxentium Julienſem*, & *Adrianum Polenſem*, conſtat ex variis lectionibus, quæ in editione Mediolanenſi leguntur. *Sacillenſem* vero, & *Maranenſem* pro ſuo arbitratu adjungere placuit Epiſcopos Palladio. 2. Maxentius dicitur Epiſcopus *Julienſis* in actis Synodi noſtræ Mantuanæ, in Synodo Gradenſi, in ſubſcriptionibus libelli ſupplicis ad Mauricium Imperatorem tranſmiſſi, & in variis prædictis lectionibus Pauli Diaconi. Ejus fuere ſucceſſores Fidentius, & Amator, de quibus hæc narrat laudatus Diaconus Lib. 6. cap. 51. *Adveniens anteriore tempore Fidentius Epiſcopus de Caſtro Julienſi, cum voluntate ſuperiorum Ducum intra Forojuliani caſtri muros habitavit, ibique ſui Epiſcopatus ſedem ſtatuit. Quo vita decedente, Amator in ejus loco ordinatus eſt*. Caſtrum *Julienſe* diſtinguitur a *Forojuliano* caſtro. Iſtud olim appellabatur *Forumjulium*, *Civitas* quoque *auſtria*; nunc *Cividale*. Illud eſſe *Julium Carnicum*, incolis *Zuglio*, invicte demonſtrat Noriſius. Itaque Maxentius *Julij caſtri Carnorum* Epiſcopus erat. Ipſum vero *Utinenſem* Palladio libuit creare Antiſtitem. 3. Nullum *Mariani*, aut *Marani* ſediſſe Epiſcopum, oſtendimus in Diſſertatione cap. 12. Sed hunc lapſum Ughellio aliiſque communem Hiſtorico Forojulienſi condonamus. 4. Quo demum jure *Sacillanum* quoque obtrudat Epiſcopum, ipſe audiendus eſt. Ait enim: *Sacilli Epiſcopum fuiſſe, ex hoc Marianenſi Concilio diſcimus*. At nulli ſunt codices, editi, aut manuſcripti, in quibus *Sacillanus* Epiſcopus memoretur. *Tempore quoque Agathonis, Pontificis Romani, epiſtolæ ipſius in Concilio VI. Oecumenico Sacillanus Antiſtes ſubſcripſit*. Idem ante ſcripſerat Ughellius in Aquilejenſibus. Quære, ſi placet: *Sacillanum* non invenies inter

Epiſ-

Epiſcopos, qui Agathonis epiſtolæ ſubſcripſerunt. Eorumdem Antiſtitum ſubſcriptiones expendo in Diſſertatione cap. 18.

11. Hanc Synodi actorum partem recitat Coletus, Venetus editor Ughellii, Tomo X. in Epiſcopatu Aciliensi.

12. Dicitur quoque *elegans* Hermagoras in ejus Vita apud Bollandi Continuatores Tom. 3. Julij, ubi hæc habentur: *Beatus Marcus indixit populo, ut eligerent ſibi, quem vellent, Virum Chriſtianiſſimum. Turba autem populi elegerunt ſibi elegantem perſonam, & condignam, nomine Hermagoram.*

13. Verba ſunt libelli ſupplicis a Maxentio Synodo oblati, in quo vetuſta colliguntur monumenta, queis Aquileja Metropolis; ejuſque plebs demonſtretur Gradus inſula. Inter eos *nonnullos*, quorum fides allegatur, præcipuus eſt Paulus Diaconus. Ipſa ejus verba ex Hiſtoria Langobard. ſæpe exſcribuntur. Hunc eumdem recitat locum Baronius ad Annum DCV. num. 4. uſque ad ea verba, *In Gradu quoque ordinatus eſt hæreticus Candidianus.*

14. Verbis ipſis Pauli Diaconi hæc narrantur in Maxentij libello. Habet ille Lib. 2. cap. 10. *His diebus, quibus Langobardi Italiam invaſerunt... Romanam Eccleſiam Vir ſanctiſſimus Benedictus Papa regebat, Aquilejenſi quoque Civitati ejuſque populo Beatus Paulus Patriarcha præerat: qui Langobardorum barbariem metuens, ex Aquileja ad Gradum Inſulam confugit, ſecumque omnem ſuæ theſaurum Eccleſiæ deportavit.* Benedictus in Romanam Petri Sedem conſcendit anno DLXXIV. Jam vero influxerant in Italiam Langobardi anno DLXVIII. cum nonum Pontificatus ageret annum Joannes III. Ad hunc ejuſdem Pauli locum in editione Mediolanenſi adnotatur: *non Paulum, ſed Paulinum Aquileienſem dicendum.* Verum *Pauli* nomen ubique habet Diaconus hiſtoricus; eodemque nomine hunc appellant Aquilejenſem Antiſtitem Catalogi Mſs. Nullam præterea hac de re movet litem Noriſius, perperam monet Adnotator; licet eumdem Epiſcop[illegible] malit cum Pelagio I. Papa *Paulinum* appellare.

15. Hæc

15. Hæc eadem verba, & ſequentia legimus in Paulo Diacono Lib. 2. cap. 25. *Paulus quoque Patriarcha annis duodecim Sacerdotium gerens, ab hac luce ſubtractus eſt, regendamque Eccleſiam Probino reliquit.* Lib. 3. cap. 14. *Mortuo vero apud Aquilejam Patriarcha Probino, qui Eccleſiam unum rexerat annum, eidem Eccleſiæ Sacerdos Helias præficitur.* Cap. 26. *Defuncto Helia... poſtquam quindecim annos Sacerdotium geſſerat, Severus huic ſuccedens regendam ſuſcepit Eccleſiam.* Lib. 4. cap. 34. *Defuncto Severo Patriarcha, ordinatur Joannes Abbas Patriarcha in Aquileja vetere cum conſenſu Regis, & Giſulfi Ducis. In Grados quoque ordinatus eſt Romanis* (in aliis codicibus, *Romanus*) *Candidianus Antiſtes.* Romanis, hoc eſt Græcis, aut Imperio Græco, & Romano ſubjectis, catholiciſque Populis, Gradum Inſulam aliaque loca incolentibus, præfectus eſt Candidianus, qui Sedis Apoſtolicæ hærebat centro, ac Synodum quintam triumque damnationem capitulorum amplexus fuerat.

16. Poſt obitum Severi in duos Metropolitanos diſſecta eſt Aquilejenſis Diœceſis. Gradenſibus catholicum Epiſcopum, Aquilejenſibus ſchiſmaticum expetentibus, utrique parti ſuus acceſſit, Candidianus catholicis, Joannes ſchiſmaticis. Hunc tuebantur Agilulfus Langobardorum Rex, & Giſulfus Dux Forojulienſis: illum Ravennæ Exarchus; quod nempe Gradus Græco parebat Imperatori, Aquileja Langobardis. Partes etiam habuiſſe in electione Candidiani Romanum Pontificem, teſtatur Joannes Diaconus in Vita Gregorij Magni Lib. 4. cap. 38. his verbis: *Denique Severus, quia ad unitatem ſanctæ univerſalis Eccleſiæ redire non meruit, ad ſcindendam quoque ſuæ ipſius Diœceſis unitatem Romanum Pontificem ſua vecordia ſuſcitavit; adeo ut ab ipſo illius obitus tempore Aquilejenſis Diœceſis in duos Metropolitanos, catholicorum videlicet, ſchiſmaticorumque, diviſa ſit.*

17. Appoſite notat Baronius ad Annum DCV. num. 5. ex hæreſeos nota Candidiano affictа aperte cognoſci, adverſarios ejus ſchiſmati fuiſſe addictos, quorum mos erat, hæreticos appellare tria damnantes capitula; cum re-

revera quintæ Synodo conſentientes, Romanoque adhæ-rentes Pontifici, catholici eſſent. Mirum vero, Maxentium in libello ſupplici injurias olim a ſchiſmaticis Candidiano illatas uſurpare voluiſſe; eaſdemque impune diſſimulaſſe Mantuanæ Synodi Patres!

18. Hæc eadem verba cum epiſtola Joannis, Aquilejenſis Metropolitæ ſchiſmatici, ad Agilulfum Langobardorum Regem, recitat Baronius ad Annum DCV. num. 5. & 6.

19. Iſtria cum aliquibus Adriatici ſinus inſulis, atque Grado Imperatori Græco eo tempore parebat, & Exarcho. Hinc facile fuit Smaragdo, claſſem appellere ad Inſulam Gradum, atque Ravennam ducere Severum Aquilejenſem, Joannem Parentinum, Severum Tergeſtinum, & Vindemium Ceſſenſem, tres ex Iſtria Epiſcopos, ut cum Joanne Ravennatium catholico Antiſtite communicarent. Rem eamdem narrat Paulus Diaconus Lib. 3. cap. 26.

20. Lacuna videtur in textu. Laus eſt Candidiani, non culpa, quæ hoc loco innuitur: quod nempe Severo ſchiſmatico, & Complicibus conſentire noluerit.

21. Recte monet Noriſius, in hac Joannis narratione veris miſceri falſa: Petrum, & Providentium, Iſtriæ Epiſcopos catholicam amplecti voluiſſe, ejurato ſchiſmate, unitatem, colligitur ex epiſtola Gregorii Magni ad eoſdem data, quæ eſt II. alias XLIX. Lib. 4. *Indictione XIII.* ideſt, anno DLXXXXV. ubi hæc habentur: *Remeantis autem Caſtorii Notarii mei relatione edoctus ſum, Fraternitatem veſtram ad me habere deſiderium veniendi, &c.*

22. Sigualdus, quem etiam Siginaldum, & Sighoaldum vocant, e Regia Langobardorum ſtirpe, ſedem tenuit Aquilejenſem juxta aliquorum calculos, referente Ughellio, uſque ad annum DCCLXXIV. quo Carolus Francorum Rex, capto Deſiderio Rege, regnum ſibi ſubjecit Langobardorum. Favere videntur ſequentia verba: *Qui uſque ad Franciſci tempora vixit.* Francos vocabant *Franciſcos* Langobardi. Cum dicitur *Franciſcus*, Rex Carolus

Q ſub-

ſubintelligitur. Sed hæc verba minime prohibent, quominus Metropolitæ Sigualdi ſedes ad annum uſque DCCLXXVI. protendatur, quo Carolus rebellem Rotgaudum in Provincia Forojulienſi proſtravit. Vide Diſſertationem cap. 20.

23. Hoc ævo in Iſtriam dominabantur Franci, quam Pippinus Græcis ereptam regno Caroli patris adjunxerat. Gradus Inſula Venetorum Reipublicæ parebat. Qui eligebantur in Iſtria Epiſcopi, Sacramentum fidelitatis Francis Imperatoribus ſervandæ emittebant. Ad Inſulam Gradum ordinandi venientes, alio obſtringebantur Sacramento. Gradenſes ac Veneti appellantur *Græci*; de qua appellatione egimus in Diſſert. cap. 22. Nequiſſimum dicunt Græcorum vinculum Iſtrii, utpote quibus partium ſtudio ductis facile fuit, juſti, & æqui metas tranſilire.

24. Ludovici, & Lotharii Imperatorum Juſſu, litem inter Maxentium, & Venerium Sedi Apoſtolicæ cognoſcendam ſemel ac bis delatam eſſe; ac Romæ ſtatuto tempore comparuiſſe Venerium, minime Maxentium, colligitur ex litteris Imperatorum ad eumdem Venerium datis, quas e codice Triviſaneo vulgavit Coletus in Tabulis Gradenſibus. *In nomine Domini Dei, & Salvatoris noſtri Jeſu Chriſti. Hlodovicus, & Hlotarius divina ordinante providentia Imperatores Auguſti Venerio venerabili Patriarchæ in Domino ſalutem. In litteris Sanctitatis tuæ, quas Nobis per Miſſum tuum Tiberium miſiſti, ſcriptum reperimus, quod tu ſecundum noſtram Juſſionem propter contentionem tuam, & Maxentii Patriarchæ finiendam Romam veniſti. Sed quia Maxentius eodem tempore illuc non venit; & propter ejus abſentiam Dominus Apoſtolicus nihil inde definire potuit, tu infecto negotio domum reverſus es. Sed Nobis non videtur conveniens, ut iſta cauſa ſic remaneat: ideoque decernimus, ut iterum tempore congruo Romam ad præſentiam Domini Apoſtolici, & eorumdem Miſſorum noſtrorum, contentio veſtra juſte, & canonice definiatur; ut in poſtmodum nullam inter vos de hac cauſa altercationem habere, ſit neceſſe.* Judicium tamen ſolius Apoſtolicæ ſedis detrectabat Maxentius.

Lo-

Lotharii favore munitum obtinuiſſe, ut Eugenio II. adſentiente, in Mantuano Concilio dirimeretur controverſia, certo colligimus ex actis, & ex catalogo Muratoriano, ubi hæc habentur verba jam num. 1. recitata: *Ad ejus* (Maxentii) *preces Beatus Eugenius Papa, & Ludovicus Imperator, ad inſtantiam Lotharii, filii dicti Ludovici, univerſalem Synodum Mantuæ celebrarunt*. Ut ad Synodum veniret Metropolita Gradenſis, indixerunt ipſi Imperatorum Miſſi, Sicardus, & Theoto; ipſumque Tarviſii cum diebus quinque expectaſſent, cœptum iter proſequuti ſunt, ac Mantuam pervenere.

25. Synodus Gradenſis coacta ab Elia dicitur, *Imperante Domino noſtro Sereniſſimo Tiberio Conſtantino Auguſto, anno Imperii ejus quinto, eodem Conſule, ſub die III. Nonarum Novembrium, Indictione XIII.* ideſt, anno vulgaris æræ DLXXIX. Indictio III. a Septembri menſe incepta uſurpatur. Acta Synodi ficta, & ſuppoſititia, pluribus oſtendimus in Diſſertatione cap. 10.

26. Ordo ſubſcriptionum perturbatus, ac nomina corrupta Epiſcoporum reſtitui debent ex eiſdem actis apud Sagornnium, Dandulum, Benintendum in Chronicis Venetis, & apud Ughellium in Chronico Gradenſi hoc modo: *Helias ſanctæ Aquilejenſis Eccleſiæ Patriarcha*, (vel *Epiſcopus*, ut in aliis codicibus,) *Marcianus Epiſcopus S. Eccleſiæ Opitergienſis, Leonianus Epiſcopus Tibornienſis, Petrus Altinatis, &c.* Inter Severum Tergeſtinum, & Joannem Parentinum ſubſcribit *Solacius Epiſcopus S. Eccleſiæ Veronenſis*. Loco *Martini Sabionenſis* legitur *Marcianus Presbyter, locum faciens Viri beatiſſimi Ingenuini Epiſcopi S. Eccleſiæ ſecundæ Rhætiæ*. Non *Flaminius*, ſed *Agnellus Tridentinus* habetur. Comparet denique *Laurentius Presbyter, ſuperveniens in Sancta Synodo, locum faciens Viri beatiſſimi Fonteji, Epiſcopi S. Eccleſiæ Feltrinæ*.

27. Excerptum eſt epiſtolarum, quas Iſtrii, ac Veneti Gregorio Papæ II. dederunt contra Serenum Aquilejenſem, qui Gradenſis Eccleſiæ jura occupare attentaverat, ut monuimus in Diſſert. cap. 19.

Q 2 28. Hanc

28. Hanc traditionem Aquilejenſium non eſſe inveriſimilem, cenſent Bollandi Continuatores in Commentario prævio ad Acta S. Marci §. 2. num. 7. Die 25. Aprilis Tom. 3. in Hiſtoria chronolog. Patriarcharum Alexandrinor. §. 2. num. 20. Tom. 5. Junii, & in Commentario prævio ad Acta S. Hermagoræ num. 7. Die 12. Julii Tomo III.

29. Viginti, qui laudantur Patriarchæ, ſunt 1. Hermagoras. 2. Hilarius. 3. Chryſogonus. 4. Theodorus. 5. Chryſogonus II. 6. Agapitus. 7. Benedictus. 8. Fortunatus, aut Fortunatianus. 9. Valerianus. 10. Chromatius. 11. Auguſtinus. 12. Adelfus, ſeu Delfinus. 13. Maximus. 14. Januarius. 15. Secundus. 16. Nicetas. 17. Marcellianus. 18. Marcellinus. 19. Stefanus. 20. Macedonius. Dandulus in Chronico *Maximum* reticet, atque Stefanum inter & Macedonium inſerit *Laurentium* dictum *Maurum*. Hujus nulla mentio in Catalogis Aquilejenſibus, qui conſtantiſſime priorem exhibent. Inter eoſdem Stefanum, & Macedonium irrepſit *Maxentius* in Catalogo, quem coram populo quotannis recitant die 2. Februarii Virginis Deiparæ Purificationi ſacra Canonici Eccleſiæ Forojulienſis. Inter priores accenſet Sanctum *Quirinum* Joannes Cuſpinianus: primumque ſcribit *conſtitutum*, & *factum* Aquilejenſis Eccleſiæ *Patriarcham*. Sententiam tenet Hundius in Epiſcopis Patavienſibus. At ipſe fatetur, nullum *Quirini* in hujuſce Eccleſiæ Tabulis proferri nomen; cum tamen qui primus Patriarchalem invexerat dignitatem, æternitati ſervandus fuiſſet, ut optime advertit Lucentius. Itaque viginti ſuperſunt, quot in Synodo Mantuana numerantur, Aquilejenſes Antiſtites. Adnotaverim præterea, poſt Hermagoram exhiberi Aquilejam in Chronico Danduli ducentis, & amplius annis uſque ad Hilarium cura paſtorali deſtitutam: Chryſogonum II. in eodem Chronico ante Theodorum poſt Chryſogonum I. recenſeri: denique numerandum eſſe Nicetam poſt Secundum, everſa jam ab Attila Aquileja, ut colligi poſſe videtur ex Leonis Papæ I. epiſtola ad ipſum data.

30. Quin-

30. Quinque laudati Patriarchæ uſque ad diviſionem Diœceſis in duos Metropolitanos, ſunt Paulus ſeu Paulinus, Probinus, Elias, Severus, Joannes. Huic a ſchiſmaticis Aquilejæ electo ordinatoque oppoſitus eſt in Inſula Grado Candidianus a Catholicis. Ad Eccleſiæ denique unitatem redierunt Aquilejenſes opera Sergii Romani Pontificis; ac etiam priſtina jura in Iſtriæ Epiſcopos recuperarunt, Metropolitico jure Gradenſi, poſtmodum Veneto manente.

F I N I S.

ER-

Digitized by Google

ERRATA CORRIGE.

Pag. 1.	lin. 23.	Epiſcopum ;	Epiſcopum ,
pag. 2.	lin. 14.	Capitulorom .	Capitulorum .
pag. 6.	lin. 12.	ad Ann.	ad Annum .
pag. 8.	lin. 19.	prioris .	priores .
pag. 10.	lin. 8.	incœpit .	incepit .
pag. 20.	lin. 2.	me .	ne .
pag. 22.	lin. 2.	ve .	vel .
pag. 32.	lin. 3.	*execractus .*	*execratus .*
	lin. 4.	*ipum .*	*ipſum .*
pag. 43.	lin. 17.	*ſergii .*	*Sergii .*
	lin. 23.	*ſergium .*	*Sergium .*
pag. 54.	lin. 16.	rediſſe .	rediiſſe .
	lin. 30.	rediſſe .	rediiſſe .
pag. 66.	lin. 17.	hanc.	hunc.
pag. 69.	lin. 19.	interptetationes .	interpretationes .
	lin. 21.	concilor.	concilior .
	lin. 31.	plutibus .	pluribus .
pag. 70.	lin. 12.	gemen .	germen .
pag. 73.	lin. 13.	in .	In .
pag. 74.	lin. 2.	Coſtantini .	Conſtantini .
pag. 76.	lin. 13.	*veſtre .*	*veſtra .*
pag. 79.	lin. 28.	æpiſtolam .	epiſtolam .
pag. 101.	lin. 24.	ultro, fatetur .	ultro fatetur .
pag. 105.	lin. 31.	*madii .*	*medii .*
pag. 107.	lin. 22.	quorum .	quocum .
pag. 109.	lin. 24.	*converſio .*	converſo .
pag. 111.	lin. 2.	ſplendidiſſimm .	ſplendidiſſimum .
pag. 112.	lin. 26.	*Lateranerſi .*	*Lateranenſi .*
pag. 115.	lin. 3.	*Georgi ,*	*Georgii .*
pag. 116.	lin. 4.	*Mariani .*	*Marani .*
pag. 130.	lin. 9.	*quam .*	*quem .*
pag. 143.	lin. 16.	firminus .	Firminus .
pag. 151.	lin. 13.	*Ecclesis .*	*Eccleſiis .*
pag. 159.	lin. 28.	Gemblaſenſis	Gemblacenſis .
pag. 163.	lin. 2.	ebulliebac .	ebulliebat .

247
9.F.251

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

005656702

Digitized by Google

UB

Digitized by Google